In Nomine Domini, Amen.

QVÆSTIO IVRIDICA.

DE

SVCCESSIONE LEGITIMA.

AD CELSISSIMOS PRINCIPES,

GEORGIVM & CAROLVM RADIVILLIOS,

DUCES in Nieśwież & Ołyka, &c.

PRO LOCO,

inter Clarissimos DD. I. V DD. in Lectorio Collegij Juridici, Al. Uniuersitatis Studii Crac: ad disputandum,

PER

M. SEBASTIANUM PISKORSKI,

V. I. D. & Professorem, Eccles. Collegiat. SS. Omnium Crac: Archidiaconum. Canonicum Velunensem, &c.

PROPOSITA.

Anno Domini, 1683. Die Mensis Nouemb.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

Maior Hereditas venit vnicuiq; noſtrum, à iure & legibus; quàm ab iis, à quibus illa bona relicta ſunt: nam vt perueniat ad nos fundus, teſtamento opus eſt: vt retineamus, quod noſtrũ factum eſt, ſine Iure Ciuili non poteſt. Cic: pro Cæcin.

Celsissimis PRINCIPIBVS,

GEORGIO

&

CAROLO

RADIVILLIIS,

DUCIBUS in NIESWIEZ & OŁYKA, &c.

CAusam Successionis Legitimæ, in publico sacratarum vtriusq; paginæ Legum, Tribunali (quod magnus ille, Lechici Litauiq; cæli Apollo, & Musarum in Regnum Poloniæ prodromus erexit) ex partium controuersiis, Vobis Iudicibus decidendam induco. CELSISSIMI PRINCIPES. *Nempe inquisiuistis iam de illa seriò, & cum* SERENISSIMO POLONIARVM PRINCIPE IACOBO, *Consobrino Vestro, priuato in studio defin iuistis: nequicquam stre-*

pitæ Aulæ, forensi isti disceptationi, amicoq́; Musis secessui præiudicante. Ita magnis per ardua niti, impedimentisq́; ipsis, gradus solidiores ad virtutem ponere, hereditarium est. Et proprium id habet Aquilæ generosa proles; vt à tenero vngui, perspicacem pupillam, ad solis iubar Serenissimum acuat, hebetet ad vmbras. Publicæ rei, optimè formati sunt, Magnarum Stirpium non degeneres Surculi; quibus inter succisiuas Literati otij horas, arcana Ciuilis Prudentiæ, per Exemplorum Compendia penetrare concessum. Sic Vestra mens & indoles nutrita magnis sub penetralibus, progressa in immensum est, eoq́; Vos posuit censu: vti iam non hereditario, sed quæsito Vestro jure proprio, Principes sitis Sanguinis. Possessione hac, felices ter & amplius; ad summa Nominis Vestri ornamenta, grande augmentum addetis; si calentes alio sole terras lustraturi, ante omnia iudicio Vestro hîc decernatis: Ad Legitimam Successionem dignos duntaxat à iure debere vocari.

Celsitudinum Vestrarum,

Obsequiis ex asse datus.

M. SEBASTIANVS PISKORSKI, V. I. D.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

APPARATVS PRÆPARATORIVS.

Ad Quæstionem Iuridicam, DE SUCCESSIONE LEGITIMA.

PRÆFATIO.

FActurus Legum, in materia Succesſionis Legitimæ, cùm de Iure Communi, tum Statuto particulari ſancitarum, ſcholaſticam promulgationem; præfari primùm ea, per compendium exiſtimaui; ſine quibus Legalis hæc Doctrina, manca, & tyronibus (quorum ſtudio, hâc parte potiſſimùm conſultum volui) difficilis, planeq; imperuia videretur. Profectò, ſi in foro cauſas dicentibus, *nefas eſt*, Caio teſte, in *l.* facturus *ff.* de O. I. *nullâ præfatione factâ, iudici rem exponere*; quantò magis inconueniens eſſet, tam prægnantem in iure, & haud ſcio in praxi magis verſatilem, Succeſſionum ab Inteſtato materiam; omiſſis initijs & origine non repetita, atq; illotis, vt aiunt, manibus aſſumere tractandam. Nempe & *Præfationes libentiùs nos, ad lectionẽ propoſitæ materiæ perducunt; cumq; eò venerimus, eius euidentiorem præſtant intellectum.* text: *d. l.* facturus. & Tituli ſignificatio prius referenda eſt, quàm iurium, ſub eo inſertorum. *l.* benè eſt *ff.* ſi certum petatur. cognitioq; generis, debet præcedere cognitionem ſpeciei. §. his igitur. In-

ftit. de *I.* & *I.* nec nisi cognitis generalibus, ad specialia descendendum. Bart. ad *d. l.* benè est. *ff.* si certum petatur.

Quoniam verò omnia, *quæcunq; gerimus, nisi legitimum initiũ sumant; irritũ actum nostrũ efficiunt.* l. quæ cunq; gerimus. *ff.* de *A.* & *O.* Et *difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* c. principatus I. Q. I. Operam meam, ex præscripta à fronte legum formula: *In Nomine Domini Nostri* IESV *Christi*, auspicor. *Ex hoc enim sequitur bonum initium, melius medium, & optimus finis.* glos. in prooemio Inst. *V.* Iesu. Nempe *vbi Christus non est fundamentum, nullius boni operis est superædificium.* c. cum Paulus I. Q. I. *& quidquid facimus, in Nomine Domini facere debemus.* c. non obseruetis 26. Q. 7. *& qui sine Saluatore, sine vera Sapientia, existimat prudentem se fieri posse; non prudens, sed stultus, in cæcitate noxia, demens permanebit.* c. qui sine Saluatore 26. Q. 2. vsq; adeò *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* c. quàm pio. I. Q. I.

Primùm itaq; adnotanda veniunt, quæ ad intellectum Tituli Quæstionis præsentis faciunt, iuxta allegatam *l.* facturus; ordine deinde subsequentur difficiliorum in ipsis Conclusionibus, & inde deductis Corollarijs, terminorum glossemata, graduumq; cognationis supputandorum ratio methodica; quæ imprimis Iurisconsulto necessaria est. *l.* Iurisconsultus. *ff.* de gradibus & affin. & nomin. eorum. Non solùm, quòd per gradûs hereditates deferantur, proximiorq; gradu, remotiorem excludat; vt in Quæst:; at etiam, quòd matrimonia, in certis gradibus sint prohibita, cap. non debet. de consang. & affinit. In deferendis quoq; Tutelis, gradûs primùm proximitas spectetur. *d. l.* Iurisconsultus. & testimonium inter ascendentes & descendentes, regulariter non admittatur. *l.* parentes. *C.* de testibus. Collateralesq; aduersûs cognatos, testari non cogantur. *d. l.* Iurisconsultus.

§. I.

§. I.

De Natura Hereditatis.

Quid Hereditas in genere? quotuplex est? quæ potior est, & prior? quæ Partes Hereditatis in iure solennes?

Primum. Hereditas nihil aliud est, quàm Successio in vniuersum ius, quod defunctus tempore mortis habuit. *l.* 63. *ff.* de *R. I.* quantumuis autem hæc vox, Hereditas accipiatur, quandoq; pro ipsis rebus hereditarijs *tt. ff.* famil. hercisc. Iurisconsultis tamen propriè est nomen Iuris. ipsum scilicet ius succedendi in bona defuncti notans. Inst. de rebus corpor. & incorp. Dicitur *in vniuersum ius.* quòd omnia Iura, tam actiua, quàm passiua, hoc est: omnia commoda & incommoda defuncti, in heredem transeant. proptereaq; heres, vna & eadem persona cum defuncto censetur. & quidem, siue ex asse sit heres; siue ex parte, seu in vncijs & in quota institutus: succedit enim in vniuersam nihilominus partem, & in ea repræsentat personam defuncti. Arnol. Coruin. Instit. de test: ordinan. *Dicitur tempore mortis.* quia ex eo demum tempore incipit Hereditas. *l.* 1. *ff.* qui test: fac: pos:

Secundum. Primo Hereditas alia est ex testamento, *seu* Testamentaria: alia ab Intestato, seu Legitima. §. fin: Inst: per quas personas nob: acq. illa voluntate hominis perficitur: hæc legis dispositione; ideoque Legitima dicta: quia eam lex ipsa, absq; facto hominis, iure quodam sanguinis, familiæ, vel gentilitatis defert. l. 2. *ff.* de suis & legit: §. 4. Et quia testamentum non faciens, videtur vocare ab intestato venientes. seq; conformare iuris dispositioni; quæ supplet, vbi homo non prouidet. Manz: Inst: de Success: ab int: in præf: n. 6. *Secundo* Hereditas alia

eſt Vacans, quando nullus legitimus heres, vſq; ad 10. gradum exiſtit: quo caſu vti bona vacantia, ad fiſcum cum ſuo onere deuoluitur. *l. 1. ff.* de Succeſſor: edicto. *l. 1. l.* vacantia. *C.* de bon: vacan: *Tertiò* alia Iacens, quando ſpes adhuc ſupereſt hereditatem adiri poſſe. Gail: 2. Obſ: 130. num. 1. In hereditatem Iacentem, nec Proceſſus, nec Executio; niſi primùm curatore bonis conſtituto, datur. Græuæus Lib: 2. pract: obſeru: Concl: 130. vbi limitationes quinq; notat. *Quartò* alia Hereditas Adita, quæ heredem de facto ſeſe immiſcentem habet. quæ an ſolo poſſit adiri animo, vide Græuæum *l. c.* concl: 128. conſid: 1. negatiuè concludentem: vbi de modis probandi aditionem remiſſiuè. Dixi, de facto ſeſe immiſcentem: neq; n. in iure, ſi filius eſt; continuò ſequitur: ergo heres eſt, iuxta dictum Apoſtoli. quod Ioſeph: Lud: declarat Concl: 16. n. 198. & ſequ. Vnde probatio aditæ hereditatis, ex receptiſſima concluſione, creditoribus incumbit; eaque clara, iuxta Græuæum *l. c.* & Maſc: de prob: concl: 40. n. 9. alioquin non probantibus clarè & concludenter creditoribus; iudex poteſt abſoluere filium. poſt alios Græuæ: *l. c.* n. 11. *Quintò.* Alia deniq; Hereditas Delata, quæ ſcilicet adiri poteſt. *l.* delata. *ff.* de *V. S.* v. g. Si filius exheredatus habeat filium, hic habere dicitur proximum gradum, Delatæ hereditatis tempore, poſt auum; quum Pater ſuus habeat proximum gradum, mortis tempore. Giph: Lib: 2. Inſt: Diſp: 16. n. 13.

Tertium. Hereditatis ex teſtamento, prima potiorq; habetur ratio, in tantùm; vt quamdiu ex teſtamento, poſſit adiri hereditas; tamdiu ab inteſtato non deferatur. *l.* quamdiu *ff.* de acquiren: vel omitt: hered: *l.* antequam. *C.* comm: de Succeſſione: & quamdiu valere poteſt teſtamentum, tamdiu heres legitimus non habeat locum. *l.* quam diu *ff.* de *R. I.* nimirum in hereditate teſtamentaria, lex decedit ſuis partibus, eaſq; tranſcribit teſtatori,

conſti-

cõſtituens hunc Legiſlatoris cuiuſdam loco. Matth: Steph: ad Nouel: 118. n. 1. Manz: *l.c.* ſic vbi enim, *quilibet rei ſuæ moderator eſt & arbiter* *l.* in re mandata. *C.* mandati. certè vel maximè in diſpoſitione teſtamentaria. cùm *nihil magis hominib9 debeatur, quàm vt ſupremæ voluntatis, poſtquam aliud velle non poſſunt; liber ſit ſtylus & licitum, quod ampliùs non redit arbitrium. l. 1. C.* de *SS.* Eccl: Procedit de Iure Comm: non Statuto particulari. Sic Iure Sax: alienatio immobilium, fieri nequit; niſi coram Iudicio bannito Lib: 1. *SS.* art: 21. excipe legatum ad pias cauſas, de quo Lipſc: 1. Obſeru: 63. & Iure Regni Poloniæ, ſtante teſtamento; adhuc tamen Legitimæ Succeſſ: eſt locus: nempe de mobilibus tantùm hoc iure; non de rebus immobilibus teſtamentaria diſpoſitio procedit. Stat: Sigiſ: An: 1519. Niſi de ſcientia Principis, coram eius Secretario facta fuerit; tenet enim, acſi Iudicio & Actis inſinuata eſſet. Sigiſ: Aug: An: 1550. Lipſc: *l. c.* quod etiam ad ſummas pecuniarias Conſtit: An: 1676. extendit. Et vide Zawac: in Floſc: pract- *V.* Teſtamentum.

Teſtamentaria igitur ſi ceſſet diſpoſitio, decedentibus abſq; teſtamento hominibus: quod accidit multifariam, vel quia teſtari nolunt, vel quia non poſſunt Inſt: de hered: quæ ab inteſt: defer: & Inſt: quibus modis teſt: infirm: vel quia nemo adijt. *l.* ſi nemo *ff.* de teſtam: tutel: *l.* ſi nemo *ff.* de *R. I.* tum demum locus eſt Hereditati, ſeu Succeſſioni ab inteſtato. de qua hîc agimus.

Quartum. Hereditas integra, Iuriſconſultis appellatur As, habens legali diuiſione ſolenni, partes ſeu vncias 12. quarum ſingulæ propria habent nomina. Duodecima ſeu minima pars Aſſis, vocatur Uncia: duæ Unciæ, dicuntur Sextans, quaſi ſexta pars Aſſis: tres Unciæ, Quadrans, quarta ſcilicet portio Aſſis: quatuor Unciæ, eſt Triens, tertia nimirum pars Aſſis: quinq; Unciæ, dicuntur Quincunx: ſex Unciæ, ſeu dimidium Aſſis, Semis, quaſi ſemi

As: septem Unciæ, Septunx: octo Unciæ Bes, quasi bis triens: nouem Unciæ, Dodrans, quasi dempto quadrante, Assis: decem Unciæ, Dextans, seu Decunx, quasi dempto Sextante, As: vndecim Unciæ, Deunx, quasi demptâ vna Uncia, As. his addita vna Uncia, constituet integrum Assem. *l.* Seruum, *ff.* de hered: inst: quodsi As dupletur, vocatur Dupondium. Etsi verò bonum esset, commodioris diuisionis gratiâ, legalem distributionem seruare, semperq; in 12. Uncias hereditatem diuidere; non tamen necessitate hac diuisionis, testator adstringitur; multò minus heredes, si ab intestato veniant. Nempe tot Unciæ Assem faciunt, quot testator voluerit. *l.* interdum *ff.* de hered: instit: Possunt itaq; Hereditatis partes, aliquãdo plures esse Uncijs 12. aliquando pauciores, & aliquæ vacantes seu restantes: nec per hoc vitiatur testamentũ, *d. l.* interdum. ita si quis vnum tantùm heredem instituat in semisse; quantumuis alter semis vacans, seu restans sit; nihilominus non vacabit, sed eidem instituto heredi, iure accrescendi accedet. Inst: de hered: instit: *Ratio est.* quia nemo (paganus) potest pro parte testatus & pro parte decedere intestatus. *l.* ius nostrum *ff.* de *R. I.* Idem dicendum, si plures instituat & quidem inæqualiter, quod potest facere; vni filio plus relinquendo, quàm alteri. per *l.* parentibus *C.* de inoff: test: licet naturali ratione inspectâ, æqualitatem pater inter filios seruare debeat: vt pote qui etiam intestato patri, æquo iure succedunt. *l.* inter filios *C.* famil: herc: *l.* in Successione *C.* de suis & legitimis hered: *l.* vt liberis. *C.* de Collat. Vnde tum vel maximè, distributio talis, secundum partes Assis necessaria est; quando testator ex inæqualibus portionib⁹, heredes esse vult: quia satis constat, nullis partibus per testatorem nominatis, ex æquis portionibus, perinde atq; ab intestato eos heredes esse. Videatur Manz: Instit: de hered: inst:

§. II.

§. II.

De Hereditate diuidenda. *ſeu* Iudicio Familiæ herciſcundæ.

ACtio Familiæ herciſcundæ quando datur? ad quid? quomodo inſtituitur, ex praxi huius Regni? à quo? coram quo? an pacto, an præſcriptione tolli poſſit? diuiſio ipſa per quem facienda? quomodo? an fieri debeat in ea, comportatio acceptorum antea, per coheredes?

Primum. Actio Familiæ herciſcundæ, ſeu diuidendæ hereditatis. (herciſcere enim antiquis idem erat, quod dividere, & familia inter cætera hereditatem ſignificat. *l.* fin. *C. de. V.* & *R. S.*) datur quoties coheredes à communione diſcedere volentes, diuidi rem hereditariam iudicis officio petunt. *l. 1. ff.* fam:herciſc. cum enim communio ſit materia diſcordiæ. gl: perimatur in *l.* qui neq; *ff.* de reb: cor: ideoq; inuitum in cõmunione detineri, lex vetet; *l.* fin. *C.* com: diuid: cùmq; naturale ſit vitium negligi, quod communiter poſſidetur; immò pati, corrumpi partem ſuam, dum alienæ inuidetur; *l.* meminimus *C.* quandò & quibus quar: pars: deb: neceſſarium erat, aliquam heredibus actionem dari; quâ res iure Succeſſionis communicatas, ad diuiſionem reuocarent, ad eamq; faciendam prouocare poſſent. Weſemb: in parat: *ff.* fam: herciſ:

Secundum. Actio hæc datur; vt nimirum res hereditariæ, officio iudicis diuidantur. *l. 1.* & ſequ: *ff.* fam: herciſc. Ita & Zawac: in Proceſſ: p. 200. In actione, inquit, familiæ herciſcundæ, concludendi modus diligenter obſeruandus eſt: neq; enim petit actor, vt declaretur dominus rei petitæ, ſicut in actione reali; neq; petit aliquid ſibi fieri, vel dari oportere, vt ſit in actionibus perſonalibus; ſed ad ipſum iudicem dirigenda eſt concluſio: vt ipſe diuiſionem decernat, & ſingulas adiudicet portiones.

Tertium.

Tertium. In Causa Familiæ herciscundæ, primò datur Citatio ad Officium Castrēn: seu Iudicium Querelar: ad viden: diuisionem ab officio decerni, & diuisores deputari. Si Citatus in primo termino, non comparuerit; Actor contra eum adstabit, vt vocant, Terminum primum Citationis, seu innotescentiæ suæ querelæ primæ, & secundam Citationem expediet: in qua prima Citatio originalis inseritur, præter Terminum & diem, qui nouus scribi debet. Quòdsi nec secundo Termino comparet; Actor contra eum adstabit, Terminū innotescentiæ querelæ suæ secundæ, seu condemnabit eum in Lucro, (vt vocant) & Officium debet decernere diuisionem, diuisores deputare, ministerialem addere, Vadium 120. marc: interponere; ne diuisionem denegare audeat: illudq; in bona eiusdem inferri, publicari, & relinqui mandare. Si igitur diuisionem citatus admiserit; extunc diuisores ab officio additi, vel ipsi litigantes ad Acta Castrensia, admissam peractamq; diuisionem recognoscent, & inscribi curabunt; sin autem non admiserit, aut admissam irritauerit; citabitur pro Vadio primario, ratione non admissæ diuisionis, per Officium decretæ; aut ratione violatæ diuisionis, per diuisores ex decreto officij factæ. Quòdsi adhuc contumax fuerit; tunc citabitur pro Vadio triplicato, & ad rumand: (vt vocant) & diuisionem nihilominus admittendam. quam si necdum admiserit; citabitur vt rebellis ad Terminos Castrenses ad banniend: vide Zawac: in Proces: p. 199. vbi & formæ Citationum eiusmodi.

Quartum. Actio Fam: herc: institui potest à coheredibus duntaxat *l.* cum putarem *ff.* eod: quocunq; tandem iure heredes sint: siue suo nomine, siue Successionis. *l.* si familiæ. *ff.* eod. siue possideant suam portionem, siue petant, *l. 1.* & sequ: *ff.* eod. dummodò paritatem iuris habeant; quæ tum dicitur adesse, quando Actor in pari gradu erat, & par ius Successionis habebat, de quo Za-

wac-

waccius in Processf: pag. 84. Paritas verò iuris, ante o-mnia probanda est, in Iudicio Terrestri; vel possessio vigore iuris quæsiti, per Actionem Occupationis euincenda. idem ibid: Competit eadem Actio Dominæ Aduitalitiæ & Reformatoriæ. *hoc est.* vsumfructum & dotalitium habenti; sed non ei, qui ius à Domina Reformatoria quæsitum habet. Zawac: ibid: p. 87. sororibus quoq; aduersus extraneos, a fratribus earum, quocunque iure bona quæsita habentes; pro consecutione dotis, vel exdiuisione sortis, eas concernentis; non obstante aliquo pacto, ratione sortium suarum cum fratribus inito, & statu virginali. quod procedit in bonis maternis. Zawac: *l. c.* pag. 86. Aduersus verò fratres, nonnisi post elocationem illarum in matrimonium. Const: Ann: 1588. Pariter si mater filijs bona sua inscriberet, remotis filiabus, aduitalitatem sibi reseruando; possunt sorores, contra fratres agere ad diuisionem. Quòdsi bona fuerint Reformatione matris onerata; soror vterina, non potest agere contra fratres, ad exdiuisionem; sed tantùm ad dotem. & Zawac: *l. c.* Datur & filijs contra matrem, ad diuisionem sortis bonorum paternorum, à Reformatione liberorum. Zawac: ibid. Datur illi etiam, cui illegitimitas obiecta fortè fuerit; nec suspenditur, donec de natalibus docuerit. idem ibid: decretum Tribunalis allegans. Ann. 1589.

Quintum. Eodem iure Regni Pol: Actio hæc intentari debet, coram Officio Castrensi, immò & Terrestri, ac etiam Commissarijs Regijs. Herb. *V.* Commis: Reg. Et si bona Regalia fuerint, coram Regia Maiestate. Zawac: ibidem p. 85.

Sextum. Pacto hæc Actio tolli nequit. per *l.* in hoc iudicium *ff.* comm: diuid: vbi dicitur: *Si conueniat, nè omninò diuisio fiat; huiusmodi pactum, nullas vires habere manifestum est.* Secus tamen dicend: , si diuisio, ad certum tan-

tùm tempus differatur. ibid. Ita pactum, vt elocata in matrimonium, contenta maneat dote; nec habeat ad bona paterna regressum, nullum est. *l.* pactum dotali. *C.* de collat. Valet Iure Can: si iuramento firmatum fuerit: & iure huius Regni, si coram Actis abrenuntiatio talis facta. de quo vide dicta ad Corol: 2. Concl: 1mæ lit: *S.*

Septimum. Actio in causis hereditarijs, vel est Actio petendæ hereditatis, vel Actio diuidendæ. Actio petendæ hereditatis, siue sit simpliciter Petitio hereditatis; siue Petitio possessoria hereditatis (de quo aliàs) est perpetua. Wesemb: ad tit: Inst: de perp: & temp: act: Iure Saxonico res hereditariæ, mobiles quidem intra annum & diem; immobiles intra an. 31. petuntur. *SS.* L. 1. art: 28. & 29. quod praxi Curiæ Reg: Lipsc: 1. Obs: 77. confirmat: inter absentes duntaxat, nam inter præsentes anno & die præscribitur. Lipscius *l. c.* *Iure huius* Regni possessor hereditatis, tribus annis totidemq; mensibus præscribit; nisi probetur facultatem conueniendi non fuisse. Similiter, emptor hereditatis, contra propinquos & creditores, hoc ipso spatio præscribit. Casim: Ann: 1368. Successio tamē naturalissima, quæ est inter patrem & filium, nullâ præscriptione desertatur. Zawac: in Flosc: pract: *V.* Successio. A pari, bona nomine dotis obligata, & ea quæ ex perlucris, in possessionem accepta sunt; tum & in vim Reemptionis inscripta, pro hereditarijs vsurpari non possunt; etiam longissimi temporis præscriptione interueniente, puta 30. *vel* 40. annorum Const: An: 1588. Porrò de fæminis, idem Ius Regni, quoad hereditatem petend: sic disponit: Mulier maritata, si hereditatem non petat; intra decennium: Vidua, intra sexennium: Virgo orphana, post desponsationem sui, intra triennium & trimestre præscribit. Casim: 1368. Monialis tamen, à tempore Professionis, intra annos 20. non agens; tum demum præscribit. Quod de maritatis non procedit,

quando

quando Reformationem habent à viro inſcriptam: præ-
ſumuntur enim dotem accepiſſe, niſi in ipſa Reformatio-
ne mentio fuerit, quòd ex mera liberalitate, non ratione
dotis Reformatio ſit inſcripta; aliàs, ſi nullam elocatæ Re-
formationem habeant inſcriptam; nullâ præſcriptione
dotis excluduntur. Zawac: in proceſſ: p. 93.

Actio diuidendæ hereditatis, pariter præſcriptione, etiam lõ-
giſſimi temporis excludi nequit. *d. l.* fin. *C.* comm: diuid:
neq; contra poſſidentem bona fide, qualis eſt rei communis
poſſeſſor, currit præſcriptio. arg: *l.* male agitur. *C.* de
præſc: 30. *vel* 40. ann: Nec obſtat *l.* ſuper annali. *C.* de
annal: except: vbi datur, quòd neq; actionis familiæ her-
ciſcundæ, neq; comm: diuid:, neq; finium regund:, neq;
pro ſocio, vel cuiuſuis alterius actionis perſonalis, vita
ſit longior, annis 30. tum enim hoc procedit, quando
vnus tantùm ex coheredibus bona poſſidet: excluditur e-
nim à petitione alter, ſpatio 30. ann: in odium deſidiæ
ſuæ, vt dicitur in *l.* fin: *C.* de ann: except. Secus eſt ſi vterq;
poſſideat; non obſtat enim, etiam longiſſimi temporis
præſcriptio, iuxta com'n: DD. opinionem, etiam ex praxi
Curiæ Reg: apud Lipſc: 2. Obſ: 50. n. 5. Iure huius Regni,
ſi diuiſio facta eſt; excluditur ab infringenda eâdem Actor,
præſcriptione triennij & trimeſtris. Herb: *V.* Diuiſio. Si
non eſt facta, & is qui diuiſionem petit, ſit naturalis he-
res, ex Linea deſcendenti; nullâ excluditur præſcriptio-
ne. Si autem ſit ex Lineà collaterali, nec ius liquidum
propinquitatis habeat; eadem illi triennis, & trimeſtris
præſcriptio obeſt. Pariter ſi quis extraneus ſit, ius quæ-
ſitum tantùm ad hereditatem habens; eâdem præſcripti-
one trienni excluditur. Eâdem praxi Iudiciorum Regni,
ſi poſt diuiſionem peractam, ad commenſurationem la-
pſo triennio agatur; non tenet. Diuiſio ſi eſt facta per
amicos, vel Deputatos ab Officio, ante lapſum triennij; po-
teſt contra eam agi, ratione læſionis, in Iudicio Terreſtri;

 quæ

quæ læsio, si probata fuerit, diuisio iterata decernitur. Sed si facta est per Officium ipsum cum amicis, ampliùs non agitur contra eam. Zawac: ibid: p. 90.

Octauum. Si Diuisio Hereditatis facta est per testatorē, ei standum est. *l.* quoties *C.* famil: hercisc: & licet diuisio esset inæqualiter facta; tamen quilibet heres, suâ parte contentus esse deberet; dummodò non sit fraudatus suâ Legitimâ. Paulus de Cast: in *l.* fin: *C.* fam, hercisc. Quia ordinatio patris, de diuisione bonorum, post mortem suam inter liberos, etiam imperfecta, valet. *l.* hac consultissimâ. *C.* de testam. vide Lipsc: 1. Obser: 63. clarè ista proponentem. Ita & Statuto huius Regni, diuisio per patrem, inter liberos ex duabus vxoribus susceptos facta, rata est. Herb: *V.* Diuisio. Si tamen pater, filios diuiserit quidem; sed ijsdem, bona non dimiserit; diuisionem talem ex sententia pragmaticorum, inualidam esse dicit Zawac: in Flosc: pract: *V.* Diuisio.

Quòdsi diuisio, per patrem facta non fuerit, & fratres duo, vel plures relicti sint; quis eorum diuidere hereditatem, quis eligere debeat; controuersia est inter Legistas & Canonistas: isti tenent maiorem natu diuidere debere, minorem eligere. Ioann: And: & alij in cap 1. de paroch. Legistæ afferunt, nec maiori diuisionem, nec electionem minori deberi; sed negotium ad Officium pertinere. Barth: in *l.* *1.* *C.* de his qui se defen: Bald: in *l.* si maior *C.* comm: diuid: Canonistarum opinio, ex praxi recepta, potior tamen habenda; cui adstipulatur Iùs Saxon. Lib: 3. *SS.* art: 29. & consuetudo seruata in hoc Regno; vbi olim quidem, bonorum Terrestrium Regij Commissarij diuisionem faciebant; nunc verò Officium Castren: Bonorum verò Iuri Maydeburgensi subiectorum & in Prussia, diuisores sunt Commissarij S. R. Maiestatis. quod praxi Curiæ Reg. Lipsc: confirmat 2. Obs: 50. n. 10. Quòdsi res hereditariæ, diuisionem non patiantur,

antur; peruenitur ad licitationem, seu auctionem. *l.* ad officium. *C.* comm. diuid. & qui plus obtulerit pretij, rem habet. si idem pretium vterq; offerat; ille capit, cui maior pars debetur: at si is pauper sit, tertius substituitur plus offerens. *l.* ad officium: *C*, com: diuid.

Nonum. Ubi Iudex non diuisit, cuius officium est, vt nihil omnino relinquat indiuisum. vel vbi consuetudine, aut statuto non est receptum, vt maior diuidat, eligat minor; ad sortem etiam inter duos, ne dum plures veniend: est; nec inter æquales, alteri præ altero, aliquid conceden: *l.* 3. *C.* com: de legat: qualiter facta diuisio, non retractatur: *nec enim à sententia sortis appellari potest: cum fortuna neminem in hoc mundo habeat superiorem.* nisi ex sortis infelicitate, emergeret intolerabilis deceptio, fortè vltra dimidium iusti pretij: tunc enim diuisio talis, deberet in melius reformari. Bald: in *l.* 3. *C.* comm: vtriusq; iudic: Quòdsi res commodè diuisionem non recipiat; vel decernendum est, vt alternis temporibus habeatur. *l.* & puto *ff.* fam: hercisc. quod etiam in foro Spirituali, in materia Iurispat: vsuuenit. nimirum spiritualia non sunt diuidenda: *l.* Imperator Titus. *ff.* ad municipal: vel licitatione admissâ, & compensatione pretij factâ; alteri res, alteri pretium addicen: iuxta dicta supra *l.* item Labeo *ff.* eod: Iure Saxonico, si plures fratres, hereditatem paternam, diuidant; minor potest ad se recipere res, quæ commodam diuisionem non patiuntur, & cæteris coheredibus pecuniam dare. de quo Schneid: Inst. de act: §. quædam actiones. Quod etiam praxi obseruari hîc in Regno adfirmat. Zawac: in processu p. 89. Et ratio est, quia leges hereditatem dilacerari in particulas vetant. *l.* meminimus *C.* quando & quibus 4. pars debetur.

Decimum. Cum inter coheredes, æqualiter diuiſio hereditatis fieri debeat. *l.* inter filios. *C.* fam:her: ideò regulariter liberi bona à parentibus accepta, conferre tenentur. *tt. ff.* & *C.* de collat: repugnat enim diſpoſitioni iuris, vt heredes defuncto, non in æquales ſuccedant portiones, auth: nouiſſimâ *C.* de inoff. teſt. & Nouel: 18. c. 1. Quod procedit in eis duntaxat, quæ liberi à viuentibus conſecuti ſunt parentibus : ceſſat in illis, quæ ex teſtamento obtinuerunt. *l.* in quartam *ff.* ad *l.* Falc. Item ceſſat in illis, quæ fortè filius adipiſcendæ dignitatis causâ, à patre accepit. *l. 1. ff.* de collat. bon: vel quæ ſtudiorum causâ, pater filio impendit. *l.* quæ pater *ff.* de collat. Cuius limitationes vide apud Schneid: *l. c.* n. 42. Dotem certè filia à patre acceptam ; filius donationem ante nuptias conferre tenentur. *l.* illud. *C.* de collat. quod praxi Curiæ Reg: firmat Lipſc. 1. Obſ. 64. Iure Saxonico, emancipati ad diuiſionem hereditatis, cùm non emancipatis minimè admittuntur; antequam omnia bona, quæ ſeparatim obtinuerunt, mediante iuramento contulerint; præter vtenſilia, reſq; expeditorias, ſeu arma bellica. L. 1. *SS.* art: 10. & 13. vide Schneid: *l. c.* copiosè iſta diſcutientem. Adde dicta ad Corol. 1. Concl: 1. lit: *ff.*

§. III.

De Qualitate & differentia Heredum.

Quid Heres? quæ qualitas heredum ratione hereditatis relictæ? quæ differentia ratione perſonæ inſtitutæ? quæ ratione inſtituentis? quæ obligatio hereditatem adeuntium? quod beneficium?

Primum. Hereditatem qui capit, dicitur heres ab hero potius (iuxta Giph. Inſt. L. 2. diſp. 16. n. 5.) dictus. eò, quòd quaſi dominus bonorum paternorum, etiam viuo patre cenſeatur, quia pater & filiꝰ vna perſona cenſentur *l.* fin. *C.* de im-

de impub. & in herede filio, non mutetur, ſed continuetur bonorum paternorum dominium. *l. 11. ff.* de liber: & poſth: de quo etiam Zawac. in floſc: pract: *V.* Succeſſio. quàm verò ab herendo : eò quòd heres ei, cui ſuccedit, cohæreat. Giph: ibid. Et eſt ille, qui in vniuerſum ius, quod defunctus mortis tempore habuit, ſuccedit. *l.* hereditas 63. *ff.* de *R. I.* & *l.* cum heres *ff.* de diuer: & temporal. præſcript. ſiue capiat totam hereditatem, ſiue quotam eius, titulo vniuerſali directo : & quaſi per manus defuncti, ſiue teſtatoris. Manz: Inſt. de teſtam. §. 11.

Secundum. Heres ratione hereditatis relictæ, vel eſt ſimpliciter heres ſupra definitus ; vel eſt heres Fiduciarius, vulgò Executor Teſtamenti, qui loco inſtitutionis heredis, ex praxi hodierna, contra diſpoſitionem Iuris Communis, Inſt. de heredibus inſtituen: & Teſtam. ordin. receptâ ; à teſtatore aſſignatur, teneturq; legata, & alia in teſtamento comprehenſa, omnino adimplere. Lip. 2. Obſeru: 15. n. 21. vel eſt Fideicommiſſarius vniuerſalis, qui hereditatem vel totam, vel partem eius capit ; ſed per obliquum & per manus heredis. vel eſt Fideicommiſſarius particularis, qui capit rem ſingularem, per obliquum itidem per manus heredis. *vel deniq;* eſt Legatarius, qui capit pariter rem aliquam particularem & titulo particulari, ſed directo & à teſtatore ipſo. Manz: *l. c.* n. 1.

Tertium. Heres ratione perſonæ ſuæ inſtitut. eſt triplex : aut Neceſſarius, aut Suus ſeu Domeſticus, aut Extraneus. *Neceſſarius* eſt ſeruus, à teſtatore heres inſtitutus; qui velit nolit, cogitur eſſe heres. Inſtit. de hered: qualitat. *Suus* idemq; olim neceſſarius; id eſt filius filiáuè, in poteſtate patris teſtatoris exiſten: Suus : quia filius & pater, vna eademq; perſona cenſetur : dominiumq; bonorum paternorum etiam viuo patre quaſi habet. quod etiam morte patris non mutatur; ſed continuatur in eo, vt *d.* ideoq; non eget intromiſſione Miniſterialis in poſ-

ſeſſio-

sessionem hereditatis, nec relatione eius ad acta, vt dicit Zawac: *l. c.* Necessarius idem olim de Iure Ciuili; licet hodie sit Voluntarius: habet enim beneficium abstinendi, de Iure Prætorio *l. 1. C.* de repud: bonorum possess. Extraneus idemque Voluntarius, quisquis iuri testatoris non est subiectus; etiam filius emancipatus, aut à matre institutus. Seruus item, ante mortem testatoris manumissus, qui inuitus heres esse non cogitur. Instit. de hered. qualit.

Quartum. Heres ratione Instituentis, est vel Testamētarius, qui ex testamento: vel Legitimus qui ab intestato succedit. §. fin· Inst: per quas person. nob. acq: Deniq; heres Testamentarius, aut est Institutus, aut Substitutus, seu secundo loco institutus. *v. g.* Filium meum Caium, heredem instituo, & si is decesserit; nepotem meum Seium, ei substituo. Inst. de vulgari subst. Ab intestato vel est heres sanguinis, vel heres hereditatis. Iura sanguinis, (vt loquitur Honor: insumm. Decret. de Succ: ab intest. n. 5.) attribuuntur cuilibet Successori pro virili. Iura hereditatis, pro hereditaria portione. *l.* vt ius iurandi §. si liberi *ff.* de oper. libert. Instit de Succ: libert. *v. g.* Filij inæqualiter instituti, succedunt in feudo æqualiter, iure sanguinis. cap: 1. de Succes. feudi. Et liberi patroni, ex inæqualibus portionibus instituti, pro æquali parte habent operarum actionem. *d. l.* vt iusiurandi.

Quintum. Hereditatem qui adijt, omnia onera hereditaria subire, & creditoribus hereditarijs ac legatarijs satisfacere tenetur. *l.* fin. *C.* de iure delib. Instit. de hered: qual: & de oblig. quæ ex quasi cont: Et vice versa bonis, actionibus, iuribus hereditarijs, tanquam suis vtitur: & quidem tam creditoribus, quàm legatarijs, etiam vltra vires hereditatis obligatur. nisi inuentarium confecerit. *d. l.* fin: et ibid. *DD. C.* de iure delib. Nouel. de hered. & Falc.

Sextum. Quandoquidem Hereditas semel repudiata

ata iterum adiri nequit. *l.* ſicut. *C.* de repud. vel abſt. her. & ab eadem aditâ, non amplius abſtineri conceditur; niſi quis minor adijt. *d. l.* ſicut. & *l.* penult. *C.* de repud. habebant heredes olim beneficium, ſeu ius deliberandi; intra annum à prima notitia, delatæ hereditatis. *l.* 19. *C.* de Iure delib. hodie habent beneficium Inuentarij, vt dictum; quo legitimè confecto, (quod qualiter fiat, vide Lipſc. 2. Obſer: 19. in praxi docentem) non vltra in eo reperta, heres obligatur; ipſeq; Falcidiam, hoc eſt quartam bonorum partem ſeu Legitimam ſuam detrahere poteſt. Nouel: de hered. & Falcid: cap. hinc nobis. Ad hæc, ſi heres timeat hereditatem damnoſam, debet per publicum edictum, citare creditores: ad eden: inſtrumenta, debiti hereditarij. quòdſi creditores ſic vocati, de ſuis creditis non doceant; ſibi præiudicant. nec heres reſpōdere ipſis obnoxius eſt. Vide Honorium. *l. c.*

§. IV.

De Succeſſionis diſtinctione & Ordinibus eius.

Quid Succeſſio? quotupliciter diſtinguitur? qui Ordines ſuccedendi?

Primum. Succeſſio in genere ſumpta, idem eſt apud Iuriſconſultos, quod Hereditas: ſiue ex teſtamento, qualis eſt ſupra definita; ſiue ab Inteſtato, ſeu Legitima, qualis deſcribitur infra. preſſiùs acceptæ, ex ſubiecta diuiſione ſignificatio deducitur.

Secundum. Primò Succeſſio, alia *eſt Vniuerſalis*, ſeu *Iuris*: id eſt Hereditas: quæ fit in locum alterius, titulo vniuerſali: Hereditatis ſcilicet, vt *d. Alia Singularis*, ſiue rei: quæ fit in locum alterius, titulo ſingulari: vt legati, donationis, &c. §. fin. Inſt. per quas perſ. Quædam eſt *Teſtamentaria*

quædam *Legitima*: vt de Hereditate dictum. Deinde quædam Succeſſio *de gradu in gradum*: hoc eſt, quando agnati per virilem ſexum, ſcilicet Deſcendentes, ſibi ſuccedunt; vt patri filius, huic nepos. &c. quædam *de capite in caput*, quando agnatis cognati, hoc eſt per ſexus fæminini perſonas coniuncti; vt fratres vterini, ſororini, fratribus per virilem ſexum deſcendentibus: ſuccedunt. gloſ. not. in rub. *ff.* de Succeſ. Edicto. Iuris Saxonici Interpretes illam *ex parte gladij* vocant, hanc *ex parte coli*. *Tandem quædam* dicitur *Succeſſio Perſonarum*, cùm priore gradu vacuo, in locum eius inferior aſcendit. *l.* 2. *ff.* de ſuis & legit. quædam *Rerum*, cùm non tam perſonis, quàm rebus ſucceditur; eſtq; duplex, in iûs vniuerſum, & in res ſingulas. vt dict. Deniq; alia eſt Succeſſio *in Capita*, hoc eſt in portiones æquales, quotquot fuerint heredes, ſeu Succeſſores. *alia in Stirpes*, hoc eſt in portiones, reſpectu numeri perſonarum, ad Succeſſionem vocatarum, inæquales; propter ius Repræſentationis. *v. g.* ſi pater relinquat filium vnum ſuperſtitem, & duos nepotes ex altero filio præmortuo; hereditas per eum relicta ab inteſtato diuidetur, non in capita, id eſt, in portiones tres, iuxta numerum perſonarum relictarum; ſed in Stirpes, hoc eſt in portiones duas: quarum vna cedet filio, altera duobus nepotibus, perſonam patris ſui, qui erat alter filius aui ſui, repræſentantibus. auth: in Succeſſione. C. de ſuis. Nouel: 118. c. 1. Quod quidem ius Repræſentationis, & in deſcendentibus, & in collateralibus, admittitur de Iure Comm: *d.* Nouel. & praxi huius Regni, de qua Lipſc: 1. Obſ: 65. Iure Saxonico, in ſolis deſcendentibus. Lipſc: *l. c.*

Inſuper, alia dicitur Succeſſio Deſcendentium, alia Collateralium, alia Aſcendentium: illaq; aut quæ in Capita dicitur: aut Linearis. quando ſcilicet plures Aſcendentes ſecundi vel vlterioris gradûs concurrunt. *v. g.* ex paternâ

terna Linea auus, ex materna auus & auia; omnes quidem succedunt; sed ille in paternis bonis, isti in maternis. vide Manzium. Inst. de hered ab Intest: venien: tit 4. §. 2. n. 32. Ad extremum, vel est Successio quæ defertur Iure Ciuili, vocaturq; propriè Hereditas; vel est Successio, quæ defertur Iure Prætorio, & dicitur Bonorum Possessio. quæ tamen nil differunt in effectu; sed tantùm in causa efficiente. Lex enim heredem facit: Prætor, Bonorum possessorem. Inst: de Bon: possess. *in exemplo:* Mortuus est Cornelius Ciuis Romanus, qui neminem agnatorum; sed cognatum tantùm post se reliquit, *v. g.* consobrinū. Is cum intelligeret, se de Iure Ciuili 12. Tab. nullum ad hereditatem defuncti accessum habere; accessit Prætorem intra 100. dies, (nam parentibus & liberis, annus ad agnoscend: Bonor: Possessionem datus. Inst: de Bonorum possess.) atq; declarauit se talem esse, qui possit ac debeat, ad Bonorum Possessionem peruenire. Prætor igitur re intellectâ, decreuit illi Bonor. Possessionem, Manz. §. 1. Inst. de interd: n. 54. In quibus adhuc non conueniant, vide Giph: Inst. Lib. 2. disp. 16. n. 9.

Tertium, Nulla Iuris Ciuilis materia, teste Giph. supra alleg. reperitur, quæ tam multiplicem habuerit mutationem, & correctionem, quam præsens hæc de Successione ab intestato: tota quasi, in Nouel. 118. reformata. Deinde videmus, cuiusq; ciuitatis Statutis particularib⁹, contrarium sæpe Iuri Ciuili disponi; vt in subiectis deducitur Conclusionibus. Et particularia quidem locorū Statuta, cùm plerumq; sequantur veterem Iuris Ciuilis dispositionem; non incongruum erit, recensere Ordines, (tam de Iure Antiquo, quàm Nouissimo, cùm communi, tum Particulari locorum) Successionis Legitimæ. Ordo itaq; seu ratio Successionis, ex lege 12. Tabularum, sic habebat. Lex 12. Tabularum, ad hereditatem intestatorum masculorū: primo loco vocabat suos heredes, in potestatè

patrum existen: citra distinctionem sexûs; siue primi gradùs fuerint, siue deficientibus istis, vlterioris gradûs: puta nepotes ex filio, non ex filia. quia isti non sunt sui. Ad hereditatem verò fœminarum intestatarum, vocabat agnatum proximum; exclusis ipsius fœminæ liberis. Ius Sax: idem habet in Gerada. vide Lipsc. 1. Obseru. 56. Deficientibus suis, secundo loco, (exclusis quoq; emancipatis, ab hereditate vtriusq; parentis,) vocabat agnatos proximos præcisè. Inst. de hered. quæ ab intest. def: & Inst. de Legit. agnat. Succes. §. si plures. & *l.* post consanguineos *ff.* de suis & legit. ita fratrum filios, excludebat patruus eorum, à Successione alterius patrui, sui fratris. Quod sequitur Ius Saxon: ob grad: remot: Lib: 1. art: 3. vide Lipsc. 1. Obser: 65. Quòdsi neq; sui, neq; agnati essent (cùm nihil lex 12. Tab. constituisset.) Prætor tertio loco, non ad hereditatem; sed ad Bonorum Possessionem, vocabat defuncti cognatos proximiores. Erant igitur Iure veteri: tres Ordines Successionis. 1. Suorum. 2. Adgnatorum ex lege 12. Tabularum. 3. ex iure Prætorio, Cognatorum. quibus deficientibus, Fiscus hereditatem vindicabat, tanquam legitimo herede vacantem. donec iterum Prætor, per Edictũ, vnde vir & vxor, coniuges vocaret. *tt. ff.* & *C.* vnde vir & vxor. Quam Iuris veteris dispositionem, Ascendentes à Successione defunctorum filiorum excludentem, sequitur Ius Regni huius Pol: Ascendentiũ ordinem, vti minus naturæ conuenientem, (est enim ordo naturæ, vt liberi potiùs parentibus, quàm parentes liberis succedant, *l.* scripto. *ff.* vnde liberi & *l.* nihil interest *ff.* de bonis libert: & cap. cum Apostolus, de Censibus) omnino concludens. de quo Lipsc. 2. Obs. 21. num. 4. Adde dicta in Apparat. Probat. Con: 2. lit. *d.*

Ordo seu ratio Successionis, ex nouissima Iuris Ciuilis dispositione

dispositi-

diſpoſitione in Nouel. noſtra 118. *Primo eſt* Deſcendentium. *Secundo* Aſcendentium. *Tertio* Collateralium. *Quarto* Viri & Vxoris. *Quinto* Fiſci. vt in Concl:

Idem ordo Succeſſionis, ex Iuris quoq; Saxonici obſeruatione habetur; nempe Lineæ Deſcendentis (quam Saxones, Sinum nuncupant) *SS.* Lib. 1. art. 17. Aſcendentis & Collateralis. Enchiridion Ceraſini, locorum comm: Iuris Maydebug: Coniugum quoq; *SS.* Lib: 1. art. 31. & *SS.* Lib. 3. art. 76. vide Lipſc. 2. Obſeru: 22. Tandem non extantibus iſtis, Fiſci.

Ex praxi receptâ huius Regni; *Prima eſt* Succeſſio naturaliſſima, ſeu Deſcendentium. *Secunda eſt* Collateraliũ. *Tertia* Succeſſio ex Iure quæſito. Zawac. in Floſc. pract. *V.* Succeſſio, excluſis penitus Aſcendentibus. vt dict: Iure Pruſſiæ Regalis: *Primus* Ordo Deſcendentium. *Secundus.* Collateralium, fratrum, ſororum & ex illis deſcend: *Tertius* Parentum. *Quartus* Agnatorum, Cognatorumq; cæterorum, vt patruorum, auunculorum. Daniel Patterſon. tit. de Succeſſ. Iure quoq; Statuum Holandiæ, eſt Ordo *Primus* Deſcendentium. *Secundus* Aſcendentium. *Tertius.* Collateralium. de quo Coruinus. Inſt. de hered. quæ ab inteſt. exactè ſatis.

§. V.

De Illegitimis & legitimatione eorum.

Qui dicuntur illegitimi? quotuplices ſunt? quot modis legitimari poſſunt? quomodo legitimitas probetur? per quem? Quæſtio legitimitatis cuius fori?

Primum. Illegitimi dicuntur in genere omnes, qui ex iuſtis & legitimis nuptijs non ſunt procreati. Nouell. quibus modis nat. eff. legit: *c.* 1. ſeu, quos ſola natura genuit, non honeſtas coniugij. c. liberi. 32. Q. 4. Licet autem Iure Canonico, omnis complexus extra matrimonium ſit prohibitus. iuxta Apoſtolum 1. *Corinth.* 7. & can:

& can: nemo. can. meretrices *d.* 32. Q. 4. quia tamen lex ciuilis, quosdam extra matrimonium natos, ad Successionem admittit; seruandum erit in materia Successionum. quod alioquin, vbi de hereditatibus agitur, obseruari debet. Abb. in cap. tanta. Qui Filij sint legitimi.

Secundum. Illegitimi dicuntur: *Primo* Naturales tantùm propriè, & in specie; qui scilicet nati sunt ex concubina, quam quis vnicam, indubitato affectu, domi, loco vxoris habuit. *d.* can. liberi 32. Q. 4. *Secundo* dicuntur in specie spurij, seu vulgò quæsiti; ijdem manzeres, mardones, qui patrem demonstrare non possunt; vel possũt quidem, sed eum habent, quem habere non licet. *l.* 23. *ff.* de stat. hom. puta ex complexu illo nati, qui illicitus quidem est; sed non habet pænam, à iure irrogatam. quales filij Scortorum publicorum. cap. nisi cum. de renuntiatione. *Tertio* ex damnato coitu nati, vt nothi, qui ex adulterio: quo referuntur Clericorum Maiorum Ord. filij. per gl. cap. per venerabilem. Qui filij sint legit. immò & incestuosi censentur. per glos: *l.* 2. *C.* de Episc. & Cleric. & §. hæc autem. Nouell. quomodo oporteat Episc. Item incestuosi propriè, qui ex collateralibus vel affinibus, in gradu per Ecclesiam prohibito, procreati. Nefarij, qui sunt ex ascendentibus & descendentibus quibuscunq; nati. Lipsc. post alios 1. Obs. 69.

Tertium. Iure Ciuili, Illegitimi tribus modis legitimari possunt. Nouel: quibus modis nat eff. sui. §. 7.

Primus est, per subsequens matrimonium. *d.* Nouel. §. 8. & cap. tanta, qui filij sint legit. *Secundus.* per Rescriptũ Principis *d.* Nouel. concordat Iuris Sax. glos. Lib. 1. *SS.* art. 51. quem modum, in praxi Curiæ Regni huius, immò omnium ferè locorum, obseruari docet Lipsc. 1. Obs. 71. *Tertius,* per Oblationem Curiæ §. fin. Inst. de nupt.

Circa *primum* Legitimationis modum, hæc adnotanda veniunt.

veniunt. imprimis legitimationem per subsequens matrimonium, vsq; adeo certam esse; vt quantumuis in articulo mortis matrimonium contrahatur; proles legitima sit. *DD.* in *d.* cap. tanta. Et licet de Iure Ciuili ad eusmodi legitimationem requiratur: *primo* quidem; vt liberi nascantur, ex concubina, loco vxoris indubitato affectu domi habita. Nouel. quibus modis nat. eff. legit. & Bart, in *l.* fin. *ff* de concub. *secundo;* vt interueniant instrumenta dotalia *h. e.* publicæ Literæ. Nouel. quibus modis eff. sui. *l. 10. C.* de nat: liber: Wesemb. Instit. de nupt. §. fin. Iure tamen Canonico, quod in matrimonialibus causis seruandum semper est. cap. fin: de secundis nupt. hæc minimè attenduntur, ob fauorem matrimonij; quod omne vitium præcedens purgat, gl. in cap. innotuit. de Elect. ita & Iure Sax. receptum esse videtur, per glos. Lib. 1. *SS.* art. 51. ita & praxis Curiæ huius Regni seruat. de qua Lipsc. 1. Obs. 70. n. 6. Deinde adnotandum venit, legitimari quidem illegitimos per subsequens matrim. sed primo & secundo modo sumptos. Illegitimos tertij Ordinis minimè. ita proles ex adulterio suscepta, regulariter legitimari nequit. per text: *d.* cap. tanta. Quod ipsum Ius Sax. disponit Lib. 1. *SS.* art. 37. *Dixi regulariter.* quia hæc Iuris Canonici dispositio, non de quouis adulterio intelligenda est; sed de illo tantùm, quod matrimonium dirimit. est autem hoc, vel quando quis dat fidē adulteræ, viuente eius legitimo viro; vel quia contrahit de facto, cum secunda, viuente coniuge primâ; vel quādo alter eorum machinatus est in mortem defuncti, ob spem futuri matrimonij. *d.* cap. tanta. Pariter proles Clericor. Maior. *OO.* legitimari nequit, ob rationes & iura supra allegata. Postremò adnotand. legitimari prolem illegitimam, per subsequens matrimonium. iuxta *d.* sup. de iure quidem Ciuili & Canonico, item de Iure Saxonico,

xonico,

xonico, & praxi Curiæ Regni huius; cæterum de iure Municipali eiusdem Regni Poloni; illegitimam prolem, etiam subsecuto matrimonio, minimè succedere, nec vnquam legitimari. Const: Ann: 1578.

Circa *secundum* Legitimationis modum notand: eum, qui per rescriptum legitimare possit, debere habere vel ordinariam Iurisdictionem, vel delegatam. Ordinariam habet Princeps, superiorem non agnoscens; vt Papa, Imperator, Rex in suis terris. Abb. in cap. per venerabilem. qui filij sint legit. Delegatam habent Comites Palatini in Imperio. inter quorum Legitimationem & Principis, quæ sit differen. vide post Gail: Manz: Instit. de nupt. Princeps igitur, licet de iure, non alias legitimare possit, nisi tum, quando per subsequens matrimonium id fieri nequeat. *d.* Nouel. quibus modis nat. eff. sui. §. illud. nè fornicationis turpitudo, Legitimationis beneficio operiatur. iuxta glos. in Nouel: quib: mod: natural: effic: legit. §. fit igitur. & quando liberi legitimi non extant, *d.* Nouel: §. illud. vel si extant, ad hoc tamen consentiunt, *l.* interdum. *ff.* de natal. restituend. de cōsuetudine tamen locorum, & praxi communi; illegitimi, per rescriptum Principis, plenè & perfectè fiunt legitimi; non obstantibus supra scriptis requisitis. vt dicit Lipsc: 1. Obser: 71. n. 4. etiam tertio modo illegitimi. quod praxi Iudiciorum Curiæ Regni Lipsc: *l. c.* confirmat, num. 5. Hæc nihilominus legitimatio, dicenda magis est dispensatio, iuxta Couar. in 4. Decret: c. 8. §. 8. n. 14. vnde Lipsc: sub finem dict: Obser: adnotat ex Gail. Legitimationem, aliam esse plenam, aliam limitatam. *Plena est,* quando legitimatus, concessum habet integrè plenum ius, ad quoscunq; honores, gradus, & Successionem, etiam in Feudis. *Limitata.* quando, quoad certum tantùm casum, tollitur natalium defectus. vel quoad Successionem tantùm, vel quoad honores. Sicut dispensatio Episcopi cum illegitimo,

mo, ad ordines & beneficium; non extenditur vltra 4. Min: OO. & beneficium simplex. de quo Piasec: in Praxi Episc: p. 83.

Et dispensatio summi Pontificis, simpliciter data ad beneficia, de simplicibus tantùm intelligitur data: ad Curata, ad Dignitates seu Prælaturas non extenditur. Hinc idem Pias:*l.c.*pag:45.obseruat,ex Abb:differentiam inter legitimationem simplicem, & dispensationem quoad spiritualia: quòd legitimatio simplex, non includat dispensationem ad spiritualia; licet dispensatio ad spiritualia, præsertim Papæ, includat legitimationem ad Dignitates, etiam seculares: saltem in terris Ecclesiæ; non tamen ad Successiones; nisi hoc ipsum fuerit inRescripto expressum. Zoares tamen comm: opin: n, 104. dicit filios Clericorum, quoad patris Successionem, & ciuilia munera; debere à Principe, non Pontifice natalibus restitui. vide Manz: Inst. de hered: quæ ab intest: tit. 10. n. 63.

Circa *tertium* Legitimationis modum, quando nimirũ aliquis datur in seruitium Imperatoris, vel Prouinciæ Præsidis. hoc saltem adnotandum est: quòd hodie minimè locum habeat. ita Lipsc: *l. c.* ad finem.

Quartum. Probatur Legitimitas, ante omnia nuptijs legimè contractis. *l.*quia semper *ff.* de in ius vocand: vbi textus: mater semper certa est; pater verò, quem nuptiæ demonstrant. & *l.* filium *ff.* de his qui sunt sui, vel alieni iuris. Porrò ipsæ nuptiæ probantur testimonio, ad quod sufficiunt ordinarij testes. Fel: in cap. licet causam. de probat: n. 18. quantumuis, si agatur ad inualidandum matrimonium, requirantur testes omni exceptione maiores. Probatur item matrimonium, Libro Parochi, qui vt habeatur ad connotanda coniugum, testiumq; nomina; præcipit Concil: Trident: Sess:24. de *R. M. c. 1.* Creditur enim dicto, seu scripturæ Parochi, in illis quæ ad eius officium spectant; maximè vbi talis consuetudo, vt eiusmodi Scri-

ptura credatur. Piasec: *l. c.* pag: 346. Et hæc probatio legitimitatis, dicitur *Necessaria*. Probatur præterea legitimitas, communi vicinorum opinione: si nimirum is, de cuius legitimitate agitur, pro filio aliquorum coniugum habitus sit. per *l.* vicinis. *C.* de nupt. Quæ Probatio *dicitur Probabilis*. Probatur ad hæc facto parentum: si nimirum coniuges, aliquem instar filij tractauerint, nominauerint vel educauerint. *l. 2. ff.* de agnosc: & alend: lib: & dcitur Probatio talis *Præsumptiua*. Statur n. hoc casu confessioni parentum, donec contrarium probetur. glos. in cap. Michaël. de filijs Presbyter. Etiamsi postea negent parentes, prolem illam esse legitimam; cum iuramento etiam. text: cap: per tuas. de probat. non creditur. n. matri, propriam alleganti turpitudinem. arg. cap. inter dilectos. de donat. *l.* eum profitearis *C.* de reuocand: donat: *l.* transactione finita. *C.* de transc: *l.* idem *ff.* de condict: ob turpem causam. & praxi Curiæ hui⁹ Regni probat Lipsc: 1. Obs: 72. n: 9. Nec tenetur fili⁹ matri obijcienti, eum esse ex adulterio conceptum, credere. Abb: in cap: per tuas. de prob: n. 4. Immò Pias: *l. c.* p. 44. n. 8. dicit; etiamsi ambo parentes negarent, filium esse suum; is non habet necesse, stare assertioni illorum; dummodò posset aliquibus probare argumentis, (puta supra specificatis) se esse filium ipsorum. per tex: cap: transmissæ. qui filij sint legitimi.

Quintum. Probatio in causa Illegitimitatis, transfertur in obijcientem glos: in cap: Michaël. de filijs. presbyt: & *l.* non nudis. *C.* de probat: maximè, si opinio vicinorũ, aliquem legitimum esse agnoscit. Ioann: Andr: in cap: infamibus. de *R. I.* in 6. De Iure tamen Saxon: Lib. 3. art: 28. faciliùs ad probationem legitimitatis suæ admittitur quis, contra obijcientem. quod facere debet, vir quidem met-septimus; mulier verò sola, iurando parentes

rentes

rentes suos, esse legitimè copulatos, seq; esse legitimè in matrimonio natum, natamuè. glos. *d.* art: 28. Lib. 3. *SS.* & Lipsc: *l. c.* n. 7.

Sextum. Quæstionem Legitimitatis esse potiùs fori Ecclesiastici, quam secularis. patet. ex cap. lator, & cap. causam. qui filij sint legit. & glos. *d.* art. 28. *SS.* Lib. 3. & praxis Iudiciorum Curiæ huius Regni, de qua Lipsc. ibid. in fine, & Statutum Regni Ann: 1543. de quo idem ibid. casu nimirum, quando in causa hereditatis adeundæ, mouetur alicui quæstio illegitimitatis: nam in casu, obiectæ per calumniam illegitimitatis, cognitio est fori secularis. Herb. v. Nobilis. vbi disponitur: Nobilis Nobilem asserens esse filium meretricis, si non reuocet statim, aut neget probetvè; sexaginta marcis & caninæ reuocationis pæna puniatur. De Actione Palinodiæ seu recantationis, in Causis Iniuriarum. vide Græuæum Lib. 1. Concl: 65.

§. VI.

Quid Feudum? quotuplex? Inuestitura an semper petenda? diuisio Feudi an licita? alienatio item?

Primum. Feudum, est beneficium, quod ex beneuolentia, ita datur alicui: vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ, penes dantem remaneat; vsusfructus verò illius rei, ita ad accipientem transeat: vt ad eum heredesq; suos masculos, siue fæminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat; ad hoc, vt ille & sui heredes, fideliter domino seruiant; siue seruitium illud nominatim expressum sit, quale esse debeat; siue indeterminatè sit promissum. text: L. 2. feud: *t.* in quibus caus. feud: amitt.

Secundum. Feudorum plurimæ sunt apud Feudistas diuisiones; hîc eas tantùm ponimus, quæ ad praxim magis

seruiunt; cùm alibi tum hîc in Regno Poloniæ; vbi nõ minor, quàm in alijs regionibus Feudorum vsus, tam Regalium, *h. e.* Ducalium, quam non Regalium, *h. e.* in bonis minutioribus, & sine auctoramento Dignitatis concessorum. Lipsc: 1. Obser: 73. n. 1.

Primo itaq; Feudum aliud est Regale, aliud non Regale, vt proximè *d.*

Secundo aliud est Nouum, aliud Paternum, aliud Antiquum. *Nouum dicitur*, quod non ex Successione prouenit; sed a primo inuestito acquiritur. *Paternum dicitur*, quod parentes vsq; ad quartum gradum tenuerunt. *v. g.* auus, proauus, abauus, atauus. *Antiquum*, quod maiores agnationis alicuius, supra quartum gradum, tenuerunt. Feudi Noui & Paterni, ea natura est; vt viro decedente sine filijs masculis, Feudum reuertatur ad concedentem; etiamsi adsit frater, nisi de eo expresse sit, in Inuestitura cautum. Lib. 1. feud. de benef: frat. & qualitat: frat. vide plures effectus Feudi Noui apud Gail: 2. Obser: 50. Secus est in Feudo Antiquo. hoc *n.* non solùm ad descendentes; at etiam his deficientibus, ad agnatos collaterales deuoluitur, vsq; in infinitum regulariter, L. 2. feud: de naturali Success: feudi. *Dixi regulariter.* nam si statim post primum acquirentem, ad collaterales deuoluatur, & de hoc in Inuestitura cautum sit expresse; tunc ad septimum tantùm gradum, ius Feudi extendetur. de quo. L. 1. feud: de his qui feud: dare poss. *c. 1.* alias si post primum acquirentem, ad filium immediate descendat, & postea ab eo, vel filijs eius, ad agnatos deuoluatur; tali casu non est dubium, agnatos etiam vltra septimum gradum, ad Feudum admitti. Lipsc. *l. c.* num: 9.

Tertio aliud est *Masculinum*, quod ad masculos tantũ pertinet, & regulariter masculi hac prærogatiuâ gaudent in Feudis, vt excludant fæminas. *aliud Fæmininum* seu ex

Pacto:

Pacto: tunc enim succedit filia matri & patri: secundũ quosdam, succedit nepos ex filio solus. L. 2 feud: de natura Success. feudi.

Quarto aliud est *Ecclesiasticum*, quod vel Ecclesia dat alicui, vel ipsa accipit ab alio, vel quod Clerico conceditur. *c. 1.* de Cler: qui inuest: facit *c. 1.* de his qui feud: dare poss: in Lib: feud. *aliud est Seculare*, quod a Principe, vel alio quouis accipitur *c. 1.* §. marchio. de his qui feud: dare poss: Et de Feudo Ecclesiastico hæc obserua. *Primũ.* Quòd bona Ecclesiæ in nouum Feudum dari nequeant, vel hypothecari. Clem. 1. de rebus Eccles: non alien: Extrauag: Ambitiosæ. eod. *Secundum.* Immò si esset Feudum Antiquum, & cessaret causa primæ concessionis; nõ posset de nouo concedi. Abb: in cap: vt nuper. de reb9 Eccl: non alienand: n. 11. *Tertium.* Nec debet concedi cum conditione grauiori Ecclesiæ, quam ante fuit. *v. g.* non pro minori canone, non ad longius tempus, non ad plures aduitalitates, quam ante concessum. Couar: variar: resol: Lib. 2. c. 17. *Quartum.* Quinimò si res perueniṫ ad maiorem vtilitatem, non debet concedi pro antiquo canone; sed pro maiori, si esse potest. Abb: in cap: ad aures. de rebus Eccles. alienand: n. 4. *Quintũ.* Si esset masculinum, fæminis concedi non debet. Calder: cons: 11. de feud: vel si res applicetur mensæ Prælati, aut Capituli: non amplius infeudari potest. Bart: in *l.* si vacantia *C.* de bon: vacan: vide Piasec: *l. c.* pag: 533. vbi de hoc exactè.

Quinto tandem. aliud est Feudum Antiquum, ex pacto, & prouidentia; aliud Feudum Hereditarium: illud datur quod est concessum Vasallo pro se, & quibuscunq; heredibus suis. *h. e.* qui non solùm in Feudo, succedunt defuncto; sed etiam in bonis allodialibus. & *nota* non satis esse dicere Feudum pro se & heredibus suis; sed pro se & quibuscunq; heredibus suis; tum demum enim di-

cetur Feudum Hereditarium. Gail: 2. Obser: 154. ad finē. Inter quæ hoc intereſt, quòd Succeſſores in Feudo ex pacto & prouidentia. *h. e.* filij ſeu agnati, non teneantur ſoluere debita defuncti Vaſalli; niſi de fructibus eius anni, quo mortuus eſt Vaſallus. Lib. Feud. *t* hic finitur lex. cap: 1. §. de his conſequenter. At Succeſſores in Feudo Hereditario, ſiue Nouo, ſiue Antiquo, æs alienum à defuncto relictum ſoluere tenentur. Gail: *l. c.* & Lipſc: *l. c.* n. 6.

De Iure huius Regni Poloniæ, Feuda hereditaria illa ſunt, & ſine conſenſu Regio inſcribi, aut alias alienari poſſunt, quæ ante Stat. Alexandri Reg: collata ſunt, & per Steph: Reg: perpetua donatione, firmata. Conſt: 1576. Bona verò in Feudum concedi ſolita, *ſeu* Vacantiæ, quocunq; nomine ad Regem deuolutæ, Nobilibus conferantur, ſemper in principio Conuentûs; exceptis bonis ciuilib' iure Caduco deuolutis, quæ Rex dabit cui velit. Steph: Rex. vt ſupra.

Tertium. Vaſallus, niſi intra annum & diem Inueſtituram petierit: idq; ſiue Dominus Feudi, ſiue Vaſallus moriatur; amittit Feudum. quod tamen de Feudo Nouo non antiquo intelligendum eſſe. poſt Gail: *l.* 2. Obſ: 152. n. 13. docet Lipſc: *l. c.* n. 12. Si enim Succeſſor Vaſalli, in Feudo Antiquo, in poſſeſſione reali inueniatur; non habet neceſſe, nouam Inueſtituram petere; ſed tantùm antiquæ confirmationem. quod idem Lipſc: praxi Curiæ, in bonis duntaxat minutioribus probat. Secùs ſi non eſſet in poſſeſſione: tunc enim nulla prodeſſet continuatio, abſq; ſecuta poſſeſſionis apprehenſione, ſeu Inueſtitura. Gail: *l. c.* & 2. Obſeru: 50.

Quartum. Si de Feudis inferioribus agatur; communis opinio eſt: ea etiam ſine conſenſu Domini diuidi poſſe; maximè, ſi accedat conſenſus omnium conſortium: immò veriùs quantumuis vnus eorum tantùm ad diuiſionē prouocet. Gail: 2. Obſeru: 153. quod Lipſc: praxi Curiæ

confir-

confirmat. *l. c.* Procedit de Iure Communi, & dictâ praxi Curiæ hîc in Regno. Cessat de Iure Saxon: Feud: vbi disponitur; quòd post diuisionem Feudi inter fratres factam, simultaneè inuestitos; nullus eorum in portione alterius fratris defuncti, succedere potest; nisi de nouo simultaneè inuestiantur. Schneid: Inst: de act: §. quædam actiones n. 38. Simile quid habet Const: Reg: 1562. Aduitalitas pluribus fratribus concessa, vbi quilibet pro sorte possedit, ac tandem vnus eorum moritur; reliqui non in sortem ipsius, sed in summam duntaxat, sors verò exemptioni subiacet. Quod tamen Ius Saxon: Feudale, hîc in Regno non obseruari; sed in causis Feudalibus ad ius Commune & Statuta Regni recurri, docet Lipsc: *l. c.* n. 16. puta in Iudicijs post Curiam. Nam in alijs non tenet ob Const: Steph: 1576. prohibentem in causis Feudalibus, allegationes Iuris externi admitti. Si verò de Feudis maioribus, seu Regalibus agatur; diuidi etiam cõsentientibus consortibus, nequeunt. cap: Imperialem. L. Feud: de prohita feud alien: Secus tamen est, de notoria (vt dicit Gail: 2. *Obser:* 153.) Germaniæ consuetudine; vbi huiusmodi Feuda, exceptâ Regali dignitate, inter filios, non solùm ratione Iurisdictionis & administrationis: in quibus de Iure Feudali, diuisiò admittitur; sed etiam ratione Dominij vtilis diuiduntur, idq; sine consensu Summi Principis. Consultiùs tamen putat idem, ibid. si eiusmodi Feuda indiuisa manerent.

Quintum. Alienatio Feudalis rei, absq; consensu Domini, est illicita; alioquin Feudum ab alienante, tanquã ab ingrato tollitur. per text: c. 1. Lib. 2. feud: de proh: alien: feudi, per Loth. Ita & Stat: huius Regni, An: 1507. Sculteti, aduocati, molitores scultetias, & molendina non vendant, absq; consensu Domini; sub amissione summæ, Domino vel Regi applicandæ. Petentibus tamen, consensus ad oppignorandum non denegabitur. quod etiam

tiam Praxi Curiæ Iudiciorum Regni confirmat Lipſc: *l. c.* cum hac diſtinctione, ex *c. 1.* Lib. Feud: *t.* ſi Vaſal. feudi priuileg: cui deferat. quòd FeudumNouum abſq; conſenſu Domini directi alienatum, redeat immediatè ad Dominum; Antiquum verò ad filios vel agnatos. Ita Iure huius Regni, Aduitalitatum ſuper bonis Regalibus ceſſiones, non aliàs valent; niſi conſenſu Principis impetrato, iuri non contrario. Aug: Conſt: 1550.

§. VII.

De Gradibus Cognationum.

Ad Tit: 6. Lib. 3. Inſtit. Imp. & *l. 10. ff.* de grad: affin: iuncta. 35. Q. 5. & art. 3. Lib. 1. *SS.*

QUare de gradibus agere, hoc loco neceſſarium dicit textus Inſt: eod: ? quotuplex cognatio? quid grad⁹? quid linea & quotuplex? quid ſtipes, quomodo computantur gradus, quæ regula computandi Ciuilis, quæ Canonica, quo differunt computationes iſtæ? An Stemma computationis Graduum ſit neceſſarium? quod eſt optimum?

Primum. Quia prior gradu potior eſt in Succeſſione de qua hîc agitur: et quòd ex Collateralibus, ſecundùm probabilem opinionem vt dicit Nicol: de Vbald: de Succeſſ: ab inteſt. p. 3. n. 12. ij ſolùm ſuccedant, qui intra decimum gradum ſunt conſtituti. & vide plures rat: in *l.* Iuriſconſul: *ff.* de gradib: affinit: quas allegauimus ad fin: præfat: adde ex Iure Canon: prohibitionem matrimonij, intra quartum gradum incluſiuè: in Linea *Tranſ:* cap: non datur. de conſ: & aff: in *Recta* in infinitum. c: in copulatione 35. Q. 2. *l.* nuptiæ *ff.* eod. vide Bonacin. de Matr. Q. 2. negatiuam tenentem.

Secundum. Cognatio in genere eſt triplex. *Prima Naturalis.* cuius ſpecies ſunt Conſanguinitas, ſeu proximitas eorum, qui de communi Stipite procedunt; comprehendens

hendens agnatos & cognatos, de quorum differentia ſu-pra; & affinitas ſeu proximitas perſonarũ, ex copula carnis proueniens. *Secunda eſt Cognatio Legalis,* eaq; vel Adoptio; vel Iuſtitia publicæ honeſtatis. Adoptio ſeu Arrogatio, eſt iuris vinculum, quo qui naturâ non eſt, fit electione filius. *l.* 4. *ff.* de adopt: *l.* 2. *C.* de adopt. Iuſtitia publicæ honeſtatis, eſt proximitas ex ſponſalibus proueniens, ex lege Eccleſiaſtica robur habens. cap. continebatur, de Deſpon: impub. *Tertia.* Cognatio Spiritualis, eſt propinquitas perſonarum ex Baptiſmo aut Confirmat: proueniens. cap: 1. de Cogn: Spir: *in* 6.

Tertium. Gradus ad ſimilitudinem ſcalarum dictus. *l.* fin: *ff.* eod: eſt tranſitus de proximo cognato, in proximũ; quo, quæ perſona ſtipiti ſit proxima cognoſcatur. Weſem: parat: *ff.* eod.

Quartum. Linea ſeu limes, eſt ſeries perſonarum, ad vnum ſtipitem relatarum. Coruin. Inſt: eod. Et hæc duplex eſt. *Recta,* ſeu Limes directus, inter parentes nimirum & liberos. *l.* 9. *ff.* eod: & *Obliqua* ſeu Tranſuerſa & Collateralis, inter fratres, ſorores, cæteroſq; cognatos. Inſt eod. Vtraq; harum duplex. *Recta* quidem, alia eſt ſuperior. *h. e.* parentum ſeu aſcendentium: alia inferior, liberorum ſcilicet ſeu deſcendentium. Tranſuerſa item, ſeu Collateralis, vel eſt æqualis, quando cognati æqualiter à ſtipite diſtant: vt frater ſoror, duo conſobrini ſobrini; vel inæqualis, quando diſtant inæqualiter ab eodẽ ſtipite communi: vt patruus, amita, frater, & fratrum, ſororumq; liberi.

Quintum. Stipitem dicunt Iuriſconſ. perſonam, à qua cæteræ, de quarum coniunctione quæritur, deſcendunt. ſiue communis auctor & princeps familiæ, ac generationis. iuxta Giph: Inſt: eod.

Sextum. Computationis Graduum, alia est ratio de Iure Ciuili, alia de Iure Canonico. Inst: eod: *l. 10. ff.* de gradib⁹ affin: & all: 35. Q. 5. Ciuilem computationē sequimur in Causis Successionum, tutelarum, vt insinuat: supra: ex *l.* Iurisconsul: *ff.* de gradib: aff. Quibus etiam casibus, seruatur eadem à Iure Canonico, can: ad sedem 35. Q. 5. In causis matrimonialibus, sequimur computationem Canonicam; quam similiter sequitur & Ius Ciuile. *d.* can: ad sedem. & Communiter *DD*.

Septimum. Vna est Regula generalis computandi grad⁹, in vtraq; Linea Recta, & Collaterali, secund. Ius Ciuile. hæc: Tot sunt grad⁹, quot sunt remotiores generationes. Giph: Inst: eod: seu Tot sunt grad⁹ iure Ciuili, quot sunt personæ, vna demptâ, seu stipite dempto. Wesemb: part. *ff.* eod: n. 8. *v. g.* in Linea Recta inferiori, excluso stipite seu patre, sunt *primo* gradu, filius filia. *secundo* nepos neptis. *tertio* pronepos proneptis. *quarto* abnepos abneptis. *quinto* atnepos atneptis. *sexto* trinepos trineptis. & sic deinceps. cæteri sequuntur ordine, quatenus generatione sunt proximi, generali nomine dicti Posteri. Sicut in ascendentibus post tritauum, seu vltra *6.* gradum: Maiores generaliter appellati. quia non facile (cum de naturali cognatione quæritur) ad septimum vsq; gradum, præsertim in Linea Recta, rerum natura, vitam consistere patitur *l.* 4. *ff.* de grad. Giph: Inst: eod. In Linea verò superiore eâdem Rectâ, excluso stipite, seu illo de cuius cognatione quæritur. *primo* gradu, sunt pater mater. *secundo* auus auia. *tertio* proauus proauia. *quarto* abauus abauia. *quinto* atauus atauia. *sexto* tritauus tritauia, & sic deinceps cæteri Maiores.

In Linea Transuersa, excluso *primo*, qui est communis Stipes, de quo vide Wesemb: Giph: *c. l. secundo* gradu sunt frater soror. *tertio*, fratris sororisuè filius filia. item

patruus

patruus, amita, auunculus, matertera. *quarto* fratris sororisuè nepos neptis: item patruus magnus, amita magna, auunculus magnus, matertera magna, consobrinus consobrina. *quinto* fratris sororisuè, pronepos proneptis: item propatruus, proamita, proauunculus, promatertera: & propior sobrino, propior sobrina. *h. e.* patrui magni, amitæ magnæ, auunculi magni, materteræ magnæ, filius filia. *sexto* fratris sororisuè, abnepos abneptis. item abpatruus, abamita, abauunculus, abmatertera. item propatrui, proamitæ, proauunculi, promateriteræ filius filia. item consobrini consobrinæ, nepos neptis. item sobrini, & sic deinceps. secund: Lineæ huius æqualitatem, vel inæqualitatem.

Octauum. Computandi gradus, secundum Ius Canonicum, tres habentur Regulæ. In Linea Recta, est vna eadem, quæ & Iuris Ciuilis. In Linea Transuersa, sunt duæ: pro æquali hæc: Quoto gradu vnusquisq; eorum distat communi à stipite; eodem distant inter se. *v. g.* Patruelis & consobrini, distant gradu secundo, à communi stipite: ergo eodem gradu, distant inter se. qui tamen distant Iure Ciuili, quarto gradu. Pro Linea inæquali, hæc est: Quoto gradu remotior eorum distat à communi stipite, eodem distant inter se. *v. g.* Fratris filius à patruo, distat gradu secundo: quia eodem distat ab auo, communi suo & patrui stipite.

Nonum. Computatio Graduum Ciuilis & Canonica differunt. *Primò* quòd Iure Canonico, in Linea Transuersa, fit gradus primus; qui est secundus Iure Ciuili, *v. g.* Frater & soror Iure Canonico sunt in primo gradu, qui Iure Ciuili, sunt gradu secundo. *Secundò.* Cum Iure Ciuili, singulæ personæ generatæ gradum adijciant, in Linea vtraque; Iure Canonico, in Linea quidem Directa, idem obtinet; at in Collaterali, duæ personæ simul iunctæ, vno gradu censentur; vt in exem-

exemplo allato patet. *Tertio.* In Iure Ciuili, ad gradum inueniendum in Linea Collaterali, etiam ſtipes conſideratur, ad eumq; primo aſcenditur, deinde deſcenditur. *v. g.* ad deducendum, quòd frater fratri, ſit in gradu ſecundo; numero porſonas, fratrem patrem, & alterum fratrem, excluſo ſtipite; ſunt duæ perſonæ. vnde concludo, quòd fratres, ſint ſecundo à ſe gradu diſtantes. Iure Canonico non attenditur ſtipes; ſed quaſi per ſaltum, de vna ſcala ad alteram, fit tranſitus. *v. g.* non numero perſonas modo ſupra dicto; ſed inquiro, quoto gradu diſtat alter frater à ſtipite; & colligo, quòd eodem diſtent inter ſe: nempe vno gradu. *Quartò.* Iure Ciuili affinium non ſunt gradus. *l.* 4. *ff.* de grad. aff. eò quòd Iure affinitatis Succeſſio nulla eſt. *l* affinitatis. *C.* com: de Succeſſ: & dicetur infra. at Iure Canonico, gradus affinitatis, idem ſunt, qui conſanguinitatis. cap: 1. & ſequ. de conſ. & aff. Weſemb: par: *ff.* eod.

Decimum Stemma, alias certa quædam, totius cognationis & genealogiæ deſcriptio (ſic Plinius Lib. 35. c. 2. ſtemmata accepiſſe videtur) quod neotericis paſſim Arbor dicitur: ob ſimilitudinem arboris fructiferæ) neceſſariò poſt narrationem graduum, poni debet. monente Imp: Inſt: tit: eod: §. ſed cum magis. quatenus, inquit, poſſint & auribus & oculorum inſpectione, adoleſcentes perfectiſſimam graduum doctrinam adipiſci. Et profectò, certior aure arbiter eſt oculus, & ſegnius irritant animos, demiſſa per aurem; quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus. & quæ, ipſe ſibi tradit ſpectator. Quidquid igitur dicat, contra eiuſmodi ſtemmata, Manzius. Inſt: de grad: cogn: prin: n. 16. & §. fin: (qui & ipſe plus ne olei, quàm luminis, elucidationi eiuſmodi, dicto in loco attulerit; alijs iudicandum relinquo) tyronibus minimè recedendum eſſe, ab eiuſmodi imaginibus autumo.

Undecimum. Cum Stemma ab Imperatore propoſitum, planè

planè interierit, teste Giph: Inst: eodem; pluraq; variorum authorum circumferantur; Cuiacij, Hotomani, Coscij, Pacij, Giphanij, Oliueri, Contij: quorum singuli fermè, (ut citato loco Manz: loquitur) aliorum operam contemnunt, suam autem solam prædicant: principem tamen locum obtinere meretur hoc, quod Corpori Iuris Canonici in fine 35. Q. 5. insertum est, à Ioanne Andrea (qui speculum, fundamentum, fons, tuba & quasi Deus Iuris Canonici, & optimus Legista, Doctoribus Iuris appellatur, apud Coscium princep: Arboris consang:) confectum: Cuius nomenclaturam ex Pacij Diagrammate restituo, apposito Schemate Iuris Saxonici. L. 1. *SS.* art. 3.

Stemma Iuris Saxonici.

	CAPUT.	*in membro Capitis. Pater Mater.*
	Collum.	*in membro colli & corporis, filius filia indistincti: nam distincti ad remotiorem gradum referuntur.*
Gradus I.	Brachium.	*in membro annexionis brachij & corporis, indistinctorum proles: aliàs nepotes.*
Gradus II.	Cubitus.	*in membro cubiti, pronepotes.*
Gradus III.	Manus.	*in membro coniunctionis manûs & brachij, abnepotes.*
Gradus IV.	Digitus.	*in articulo eius primo, atnepotes.*
Gradus V.	Articulus.	*in articulo digiti secundo, trinepotes.*
Gradus VI.	Articulo.	*in extremo, quadrinepotes.*
Grad: VII.	Unguis.	*cognationem finit.*

Diagramma Iuris Civilis
Ex Pacio.

Cognati & Agnati vel sunt.

		1	2	3	4	5	6
Superiores. id est, parentes, *vt*		Pater. Mater.	Auus. Auia.	Proauus. Proauia.	Abauus. Abauia.	Atauus. Atauia.	Tritauus. Tritauia.
Inferiores. id est, liberi, *vt*		Filius. Filia.	Nepos. Neptis	Pronepos Proneptis	Abnepos. Abneptis.	Atnepos. Atneptis.	Trinepos Trineptis
Transuersales, seu *Laterales*, qui ex eodem parente originem ducunt. Hi descendunt ex	*Patre & Matre*, vt-		Frater. Soror.	Fratris vel sororis, filius filia.	Fratris vel sororis, nepos neptis.	Fratris vel sororis, pronepos proneptis.	Fratris vel sororis abnepos abneptis.
	Auo, & Auia vt			Patruus, Amita, Aunnculus, Matertera.	Patruelis Amitinus Amitina, Consobrinus, Consobrina,	Patruelis, Amitini, &c. filius filia.	Patruelis, Amitini &c, nepos neptis
	Proauo, & Proauia, vt				Patruus, Amita, Auunculꝰ Matertera, magni.	Propior sobrino. Propior sobrina.	Sobrinus. Sobrina.
	Abauo, & Abauia, vt					Propatruus, proamita, pro auunculꝰ, promatertera.	Propatrui proamitæ filius filia
	Atauo, & Atauia, vt						Abpatruꝰ Abamita, Abauunculus, Abmatertera

Iuris Canonici ex eodem.

Cognati & Agnati sunt.

		1	2	3	4	5	6
Superiores, vt		Pater, Mater	Auus, Auia,	Proauus. Proauia.	Abauus, Abauia.	Atauus, Atauia.	Tritauus, Tritauia.
Inferiores; vt		Filius, Filia,	Nepos Neptis	Pronepos Proneptis	Abnepos, Abneptis.	Atnepos, Atneptis.	Trinepos. Trineptis
Laterales, Hi descendunt ex	*Patre & Matre* vt	Frater Soror.	Fratris vel sororis filius filia.	Fratris uel sororis, nepos neptis.	Fratris vel sororis pronepos proneptis.	Fratris vel sororis abnepos abneptis.	Fratris vel sororis atnepos atneptis.
	Auo & Auia vt		Patru9 Amita Auunculus Matertera.	Patruelis Amitinus Amitina. Cōsobrin9 Cōsobrina.	Patruelis. Amitini, &c. filius. filia.	Patruelis. Amitini &c. nepos neptis.	Patruelis Amitini, &c. pronepos proneptis.
	Proauo & Proauia, vt			Patruus, Amita, Auuncul9 Matertera magni.	Propior sobrino. Propior sobrina.	Sobrinus. Sobrina.	Sobrini vel sobrinæ filius filia.
	Abauo & Abauia vt				Propatruus, proamita, proauuncul9, promatertera.	Propatrui Proamitæ &c. filius filia.	Propatrui proamitæ &c. nepos neptis.
	Atauo & Atauia, vt					Abpatru9 Abamita, Abauunculus, Abmatertera	Abpatrui Abamitæ. &c. filius filia.

				IIII. Abauus Abauia, 4.				
			IIII. Propatruus Proamita, 5.	III. Proauus Proauia. 3.	IIII. Proauunculus Promatertera. 5,			
		IIII. Horum filius filia. 6.	III. Patruus magnus. Amita magna. 4.	II. Auus Auia, 2.	III. Auũcul: magn9. Matertera magna 4.	IIII. Horum filius filia. 6.		
	IIII. Eorum nepos neptis. 7.	III. Propior sobrinus Propior sobrina. 5.	II. Patruus Amita. 4.	I. Pater Mater. 1.	II. Auũcul9 Matertera. 3.	III. Propior sobrin9. Propior sobrina. 5.	IIII. Eorundem nepos neptis. 7.	
IIII. Eorum pronepos, proneptis. 8.	III. Horum filius filia. 6.	II. Frater patrui, vel Amita: soror patrui vel amita. 4.	I. Frater. 2.	(o)	I. Soror. 2.	II. Consobrinus, consobrina. 4.	III. Horum filius filia. 6.	IIII. Eorum pronepos pronepetis. 8.
IIII. Eorundem nepos neptis. 7.	III. Horũ fili9 filia. 5.	II. Fratris filius filia. 3.		I. Filius Filia. 1.		II. Sororis filius filia. 3.	III. Horum filius filia. 5.	IIII. Eorundem nepos neptis. 7.
IIII. Horum nepos neptis. 6.	III. Fratris nepos neptis. 4.			II Nepos. Neptis. 2.			III. Sororis, nepos neptis. 4.	IIII. Horum, nepos neptis. 6.
IIII. Fratris pronepos proneptis 5.				III. Pronepos. Proneptis. 3.				IIII. Sororis pronepos proneptis. 5.
				IIII. Abnepos Abneptis. 4.				

In Nomine Domini, Amen.

QUÆSTIO IVRIDICA.

DE SVCCESSIONE LEGITIMA

Ad Nouellam, De Hered. ab intestato venien. iunctâ Rubr. Decret. De Success. ab intestato.

QVÆSTIO.

V. Successio seu Hereditas Legitima, (*a*) quæ fit dispositione legis, cessante voluntate hominis, (*b*) estq; Descendentium, Ascendentium, Collateralium, (*c*) Coniugum, (*d*) Fisci, (*e*) & post Clericos (*f*) in Bonis quibuscunq; Profectitiis, Acquisitis, Iuripatronatûs subiectis: tum demum, cum nulla omnino testatoris legitima voluntas exstat, (*g*) seruato non nisi ordine & æqualitate, (*h*) idoneis tantùm, & à Iure vocatis (*i*) deferatur?

CON-

CONCLUSIO I.

SVccessio, seu Hereditas Legitima *a.* solâ dispositione legis, nullâ omnino testatoris iustâ voluntate exstante, de Iure Communi perfecta : *b.* primò & solis Descendentibus defertur. *c.*

COROLLARIUM I.

DEscendentes, nil interest, iam nati vel nasciturі, *d.* septimo vel nono mense editi, *e.* Filij familias, vel emancipati *f.* collatione tamen factâ, eorum, quæ à viuis parentibus acceperunt *ff.* Naturales & legitimi *g,* Clerici Seculares vel Regulares aliqui, succedunt : statutis Regni Galliæ & Iure Saxon. Regulares sponte & liberè professi excluduntur. Jure & praxi huius Regni, mediam partem tantùm consequuntur prouentuum, de Bonis Hereditariis ad vitæ tempora. *h.* Praxi Iudiciorum Curiæ huius Regni, Bona ad se per Successionem deuoluta, Monasterio suo acquirunt. *h.* Deniq; Naturales tantùm propriè dicti, quo ad certos casus, Iure Communi *i.* non Saxonico & huius Regni. *k.* Non tamen vndecimo mense procedente nati, *l.* abortiui *m.* monstrosi, *n.* spirituales filij. *o.* criminis læsæ Maiestatis Diuinæ & humanæ reorum. *p.* in secunda specie quo ad paternam lineam, & tertiâ specie illegitimi. *q.*

COROLLARIUM II.

LIberi primi gradùs, sine differentia sexûs & æqualiter succedunt; factâ nihilominus collatione acceptorum ante. *r.* Legitimè tamen statuto vel consuetudine induci potest; vt fæminæ excludantur, exstantibus masculis: vti Iure huius Regni exclusæ sunt, & dotem tantùm, quam pater vel frater cum amicis proximioribus,

tam

tam paternæ, quàm maternæ lineæ, vel Bonorum Possessor assignauerit, habent. de Bonis nimirùm paternis, & abrenuntiatione Successioni factâ: nam in maternis, æqualiter cum fratribus vocantur. Nisi & isti iuri pariter abrenuntiauerint; vt plerumq; solent. Quodsi solæ sint, tum demum hereditatem parentum ex asse consequuntur *s.* Sicut Iure Feudor. masculi duntaxat succedunt. *t.* Nisi sint naturales tantùm, etiam in Feudo fæminino: etiam legitimati per rescriptum Principis *u.* vel nisi sint Clerici, aut Religiosi. Secus tamen est Jure Communi & praxi particularium locorum, vt Jtaliæ, Galliæ, Germaniæ, nam ibi conseruari videntur. *x.* Quod si liberi sint diuersarum nuptiarum; lucra primarum primi liberi; secundarum, secundi capiunt iure præcipuo; in cæteris bonis paternis æqualiter admittuntur. *y.*

COROLLARIUM III.

SIcut in Successionibus Regnorum, aliorumq; Dominatuum, vniuersalis est toto orbe consuetudo; vt maior natu, iure primogenituræ, excludat minores. *z.* ita inter priuatos consuetudinem eiusmodi; vt fratrum primogenitus, vniuersam hereditatem obtineat solus; legitimè induci posse certum est. *ae.*

COROLLARIUM IV.

QVoties cum liberis primi gradûs, concurrunt liberi secundi gradûs; succedunt in Stirpes iure Repræsentationis *oe.* iidem, imò & remotiores cum illis concurrentes, si auo, aliisq; in recta linea Ascendentibus succedant; uocantur similiter in Stirpes, eodem iure Repræsent. Quod praxis huius Regni seruat, Iuris Communis rectè inhærens dispositioni. quam Jus quoq; Sax. sequi omnino videtur: nihil vtiq; de hac Successione descendent. in contrarium expressè decidens *ei.* Particularia locorum Plebiscita, aliquando ab hac dispositione Juris recedunt. *ei.*

COROL-

COROLLARIUM V.

SIcut in bonis relictis, ita in Iurepatronatûs Seculari, quod Ecclesiastico magis priuilegiatum est. *a.* succedunt legitimi heredes ordine dicto superius, sine differentia sexûs & ætatis *b.* pro impubere tamen Tutor præsentat. *c.* Et siquidem Hereditarium est, in Stirpes; secus si Familiare aut Gentilitium; attenta in hoc ante omnia fundatoris dispositione. *d.* Succedit & Usufructuarius, & qui bona acquisiuit, non excepto nominatim Jurepatronatûs. *e.* Non Creditor, seu Obligatarius. *f.* Nec Conductor breui temporis *g.* Quod si bona fuerint publicata, Juspatr. Hereditarium Personale extinguitur, & Ecclesia liberatur *h.* nec Episcopus succedit *i.* Reale cum Vniuersitate Bonor. transit ad Fiscum: Gentilitium ad consanguineos deuoluitur. *k.* Si verô contingat, vt Familiare seu Gentilitium deficiat; transit ad heredem vltimi morientis, & efficitur Hereditarium *l.*

CONCLUSIO II.

SI nulli omnino defunctis vtriusq; sexûs, supersint Descendentes & Collaterales; Ascendentes secundo loco indistinctè & æqualiter ad Successionem vocantur, Iure Communi *a.* Non tamen in Feudis. *b.* Iure Sax. pater matrem excludit *c.* Iure huius Regni, Ascêdentibus in Legitima Successione locus non est. *d.* Iure Terrestri Prussiæ, tertio loco post fratres eorumq; descendentes, vocantur parentes. *d.*

COROLLARIUM I.

CEssat dispositio Juris Comm. in matre, quæ intra annum luctûs 25. annis maior, filio suo Tutorem idone um-

um, citra causam legitimam, apud competentem Iudicem non petiit: vel quæ post assumptam tutelam, ad secunda vota conuolauit; non petito alio Tutore, nec ratione administrationis redditâ *e*. pariter si pupillo sit quispiam a patre pupillariter substitutus *f*. Cessat item in patre illegitimo secundi & tertij generis. *g*. in parentibus spiritualibus *h*. adoptiuis extraneis *i*. arrogatoribus; si arrogatus infra pubertatis annos decesserit. *k*, & si filij arrogati supersint, excludunt arrogantem etiam in bonis aduentitiis. *l*. Cessat in super in criminis læsæ Maiestatis reis. *m*.

COROLLARIUM II.

CAsu quo plures relinquat defunctus Ascendentes, gradu dispares, absq; Collateralibus; proximior gradu excludit remotiorem. *n*.

COROLLARIUM III.

QUaliacunq; Bona defunctus relinquat, siue paterna, siue materna, Ascendentes tam paternæ, quàm maternæ Lineæ indistinctè succedunt. *o*. Nihilominus si plures Ascendentes secundi vel vlterioris gradûs concurrant; v. g. ex paternâ Auus, ex maternâ Auus & Auia; succedunt quidem omnes, at distinctim; ille in paternis; in maternis isti. *p*.

COROLLARIUM IV.

SI cum primi vel secundi gradûs Ascendentibus, concurrant Collaterales, primi gradûs tantùm vtrinque Coniuncti; succedunt defuncto, in Capita, cæteris Collateralibus exclusis. *q*. Quòd si cum Ascendentibus concurrant Collaterales primi gradûs, & simul secundi, vel deficientibus primi gradûs Collateralibus, secundi tantùm gradûs; succedunt iure Repræsentationis in Stirpes Jure Communi. *r*. Sed tertij gradûs v. g. fratrum ne-

potes excluduntur. *r.* Jure Sax. licet mater & pater excludat Collaterales omnes; ad auum tamen & auiam non debere hoc extendi, rectè Interpretes eiusdem Iuris dicunt. *s.*

COROLLARIUM V.

PAter naturalis filio, si concurrant fratres eius, ad summum in duabus vnciis succedit: mater æqualiter. *t.* Spuriis sola mater succedit, exclusis eius fratribus. *u.* Tandem si mater vel pater plures filios habeat; ac sine consensu coniugis vel liberorum, ad secunda vota conuolet, aut inhonestè viuat; succedit quidem talis filio cum fratribus eius pleno iure, in bonis aliunde quæsitis; at in profectitiis, non nisi vsumfructum habet. *w.*

CONCLUSIO III.

CVm nec Descendentes nec Ascendentes supersunt; tertio loco vocantur ad Succesionem etiam in Feudis, Paterno scilicet & Antiquo, Collaterales, defuncto proximiores, æqualis gradûs, vtriusq; sexûs in Capita Iure Communi & Saxon. in rebus immobilibus. *a.* siue sint naturales & legitimi soli, siue cum ipsis concurrant per subsequens matrimonium legitimati. *b.* immò & naturales tantùm, si fuerint soli. *c.* Sed & Religiosi. *d.* Praxi huius Regni fæminæ excluduntur à fratribus, in Bonis profectitiis a patre, etiam in Succesione dotis post sororem. idem de Religiosis iudicium iuxta superius allata. *e.*

COROLLARIUM I.

FRater indistinctus, seu ex vtroq; latere, à Successione fratris excludit distinctum, Iure Communi, ob duplex vin-

vinculum. Iure Sax. ob inæqualitatem gradûs *f.* æquè ac matertera indistincta à Successione nepotis, amitam distinctam. *g.* Quod in Feudis non currit, vbi ius Agnationis spectari solet, non Cognationis. *g.* At si fratres consanguinei tantùm vel filij eorum & vterini concurrant; consanguinei in bonis paternis, vterini in maternis præferuntur, etiam Iure huius Regni: in neutralibus æqualiter succedunt. *h.* & in bonis a linea Collaterali superiori quæsitis, indistinctè. *i.* Iure Sax. talis distinctio bonorum minimè attenditur. *k.*

COROLLARIUM II.

FRatrum vtrinq; Coniunctorum filii, si cum illis patruus concurrat, succedunt alteri patruo in Stirpes, iure Repræsentationis de Iure Communi & praxi huius Regni *l.* licet Iure Sax. patruus indistinctus filios eiusmodi, à Successione patrui eorum, sui fratris alterius excludat; distinctus tamen simul eos admittit. *m.* Iidem fratrum filij in Successione patrui sui, præferuntur patruo defuncti, iure Repræsentationis secundùm Ius Comm. Iure Sax. simul ob paritatem gradûs vocantur. *n.* Cum iisdem, si patruus eorum, ex vno latere, ad successionem alterius patrui eorum ex vtroq;, concurrat; excluditur: ob vinculum duplex. at Iure Sax. ob paritatem gradûs admittitur, *o.* Sicut & omnes agnati & cognati patruo, vt patruus, auunculus amita, matertera. & si sint paris gradûs cum dictis filiis, excluduntur, propter ius Repræsentationis. *p.* Quôd si fratrum indistinctorum filij supersint soli, succedere debent patruo in Capita, non Stirpes. *q.*

COROLLARIUM III.

DEficientibus fratrum Coniunctorum vtrinq; filijs; succedunt fratres, seu sorores ex vno latere. *r.* immò & horum filij, si soli sint, in Capita. *s.* excluduntq; a Successione fratris sui, patruos, auunculos, amitas, mater-

ter as,

teras, defuncti. Iure Communi & praxi. *t.* ob ius Repræsentationis. Iure Sax. ob gradûs æqualitatem eosdem admittunt *u.* pariter & nepotes fratrum indistinctorum, ad quos Ius Repræsentationis non porrigitur. *w.* At si cum filiis fratrum distinctorum, patruus eorum etiam distinctus concurrat, succedunt cum eo in Stirpes *x.*

COROLLARIUM IV.

STatutum seu Consuetudo, legitima dici potest; quâ contra Ius Comm. & Sax. (imprimis hic in Regno) soror per fratrem & suos ex fratre nepotes, à Successione alterius fratris sui, eorum autem patrui steriliter decedentis: & neptis per fratrem suum germanum, à Successione similiter patrui sui excluditur, dote tantùm illi in bonis patrui, aut patruelis prouisâ *y* In Bonis verò post auunculum aut amitam; eadem neptis cum fratre suo simul admittitur. Immò si frater eius non exstet, cum patruelibus etiam suis, post alterum patruum, absq; liberis decedentem, æqualiter vocatur. *z.*

COROLLARIUM V.

SI defunctus neq; fratres sororesuè, nec filios eorum reliquit; omnes deinceps Collaterales ad hereditatem veniunt secundùm gradûs prærogatiuam, paresq; gradu & proximiores excludunt remotiores, ac in Capita vocantur, sine vlla sexûs, bonorum, *ae.* superiorisq; aut inferioris ordinis Collateralium distinctione, Iure Com. & Saxon. *ei.* & quidem ad decimum gradum Iure Comm. *eu.* Sax. ad septimum *oe.* qui idem est, qui in Iure Comm. decimus. Iure huius Regni ad octauum. *au.*

CONCLUSIO IV.

Inter Coniuges, quarto loco ad Successionem, (si neq; Descendentes, neq; Ascendentes, nec Colla-

teralcs,

terales in gradu definito superſint) in ſolidum vocatos. *a.* ante omnia pactis dotalibus ſtandum eſt. *b.* quæ ſi defuerint, Conſuetudini aut Statuto loci inhærendum. *c.* his quoq; deficientibus, ad Ius Comm. tum demum in Succeſsionis materiâ recurrendum. *d.*

COROLLARIUM I.

IUre igitur Comm. ſi matrimonium ſit ſine, vel cum dote modica, & coniunx præmoriens eſt diues; ſuperſtes autem pauper, ac etiam cum liberis ſiue communibus, ſiue alterius matrimonij concurrit; & ſiquidem hi tres fuerint vel pauciores, in quarta bonorum parte ſuccedit: ſi plures; æqualiter quo ad vſumfructum duntaxat: computato nihilominus in portionem ſeu quartam eius legitimam, quod ſibi à coniuge legatum eſt. *e.* Ceſſat Iure Sax. & praxi Iudiciorum Curiæ huius Regni: indiſtinctè enim ſibi ſuccedunt, iuxta diſpoſitionem ſequentem. Ceſſat item in matrimonio illicitè contracto. *g.* vel diſtracto ex culpa alterius coniugis. *h.* vel ſi coniunx coniugem occiderit, *i.* aut alimenta coniugi aliauè neceſſaria non prouiderit. *k.* Ceſſat deniq; in ſponſis de præſenti, ſi concurrant cum liberis aut conſanguineis defuncti; ſecus eſt ſi cum filio. *l.*

COROLLARIUM II.

IUre Sax. ſi moritur Vir Nobilis, relictis liberis & vxore; vxor quidem conſequitur donationem propter nuptias, Sponſalitiam largitatem. vtenſilia & domeſtica cibaria illius anni, poſt diem 30 mortis reſidua. Filius conſequitur bona feudalia, res expeditorias ſolus, allodialia æqualiter cum coheredibus diuidit. Si verò prædefunctâ vxore decedit; tum filius in feudalibus & Hergeweth ſuccedit ſolus; hoc non exſtante proximior agnatus. in allodialibus filius & filia ſimul. vel non exſtantibus

tribus istis, gradu proximiores. Porrò moriente viro plebeio, vxor lucratur dotalitium: vel si hoc non habet, quartam bonorum cum vtensilibus. vel tertiam sine his & cibariis domesticis. quâ præmortuâ succedunt proximiores. Superstite marito, si vxor plebeia moritur, eadem est dispositio. At quando mulier decedit Nobilis, relicto marito, hic dotem & omnia mobilia præter vtensilia consequitur; salua tamen legitimâ liberorum, si aliunde haberi nequeat. proxima verò defunctæ cognata, percipit vtensilia, sed ad parandum lectum relicto tenetur; reliquam hereditatem Successores legitimi herciscuntur. *m. n.*

COROLLARIUM III.

IVre Culmensi, quo Prussiæ & Masouiæ Ciuitates aliquæ vtuntur, coniuges in dimidia bonorum parte inuicem succedunt. *o.* iuxta Statuta aliquorum locorum in tertia, aut alias. hanc tamen coniunx si consequi velit, conferre debet quæ accepit *o.*

COROLLARIUM IV.

IVre Regni Poloni, maritus vxori in nullo penitus succedit, dotemq; & dotalitium restituit, nisi vsumfructum vxor ei inscripserit. E contra vidua, dotem, dotalitium, & paraphernalia consequitur; sed non gemmas, argentum, pecuniam. res minutiores cum liberis diuidit, conseruaturque in bonis dotalitii vulgò Reformatoriis, quamdiu ad secunda vota conuolare distulerit; alias dotem tollere, bonisq; cedere debet, dando fideiussores de dotalitio heredibus mariti, post mortem suam restituendo. Eadem si indotata est, 30 marcas habet. *p.*

COROLLARIUM V.

VLtimo tandem si defunctus nec liberos nec parentes, nec Collaterales, coniugemuè reliquit; succedit Fiscus

actiuè &

& passiuè. *q.* excluditq; quoscunq; Collaterales vltra decimum gradum *n.* pariter ad succedendum ineptos, incapaces. *s.* hereditatem repudiantes, *t.* indignos. *u.* affin es nutritores, curatores, tutores *w.* ciuitates, nisi Regalia habeant *x.* Iure Sax. si defuncti nec agnatus, nec cognata adsit, in vtensilibus & expeditoriis cæteros heredes *y.* admittit nihilominus vxorem, etiam rei criminis læsæ Maiestatis, si indotata sit. *z.* Excluditur præter supra dictos omnes, ad Successionem vocatos, à socio Principis Liberalitatis. *ae.* à Collegio licito, de quo defunctus erat. sicut & a Contubernio, seu Vexillatione, in qua quis militando intestatus decessit *au.* à Magistratu in Successione post suorum officiales. *eu:* ab Episcopo in bonis peregrinantium, si heredes legitimi desint, *ei.* deniq; à possessore bonorum quadrienni. *oe.*

CONCLUSIO V.

CLericus quo ad Bona ex redditibus Ecclesiæ quæsita, intestatus moritur. *a.* Nisi aliud de Consuetudine vspiam inductum sit, quæ licitè practicari potest. *b.*

COROLLARIUM I.

DE bonis certè patrimonialibus, item industria suâ personaliq; opera, etiam per actus ordini suo proprios comparatis: *c.* sicut & de distributionibus quotidianis *d.* ad hæc de illis, quæ parciùs viuendo superesse fecit; licitè testatur *e* tantò magis, si facultatem de quæsitis intuitu Ecclesiæ testamento disponendi, obtinuit. *f.*

COROLLARIUM. II.

AB intestato igitur post Clericum in bonis Ecclesiasticis Ecclesia: in aliis iuxta dicta superiùs Consanguinei veniunt. *g.* Post Regularem qui & ipse semper

intesta-

Intestatus moritur, & intra duos menses ante Professionis diem de Bonis disponere, Renuntiationes aut Obligationes faciendo, debet & non alias *h.* si non coactus aut dolo inductus Monasticam professus est; nec abrenuntiauit, aut ante aut post, Successioni quorumcunq; bonorum; Monasterium succedit Iure Comm. & praxi Iudic: Curiæ. vt supra. *i* secus est Iure huius Regni. vt supra. immò in acquisitis etiam, nedum successiuis, per propinquos excluditur. *k.*

COROLLARIUM III.

DEficientibus Clerici consanguineis, Ecclesia succedit in bonis etiam aliunde, nedum intuitu Ecclesiæ, quæsitis. *l.* quòd si nec Ecclesiam habeat; Episcopus vocatur; vt bona relicta defuncti dispenset diligenter ad pios vsus. *m.* vel vbi consuetudo tenet, succedit pius locus, vt Cracouiæ Hospitale pauperum Sacerdotum. *n.*

COROLLARIUM IV.

CAsu, quo dubium sit, intestatus quas res reliquerit, Ecclesiæ an Personæ; præsumendum est reliquisse res Ecclesiæ; admittitur tamen heres ad probandum, res esse Personæ. Si verò constet Clericum habuisse res Personæ, & dubitetur quæ illæ sint, præsumitur pro possessore. *o.*

COROLLARIUM V.

CLericus, si priuilegium adsit, vt per Poloniæ Regnum, tam testatus, quàm intestatus, excludit successorem in beneficio suo, in fructibus siue perceptis, siue pendentibus, pro ratâ Anni Gratiæ. *p,*

Permissu Magnifici RECTORIS, Almæ Vniuersitatis Studij Generalis Crac:

APPARATVS PROBATORIVS.

Ad Quæſtionem Iuridicam, DE SVCCESSIONE LEGITIMA.

QVÆSTIO

a. l. 2 §. 4. *ff.* de ſuis & legit: hered. Vide Apparatum Præparatorium §. 1. *n.* 2.

b. l. quamdiù *ff.* de acquiren. vel omitten. hered. *l.* antequam *C.* comm. de Succeſſ. *l.* quamdiù *ff.* de *R. I.* Vide Apparatum Præparatorium §. I. *n. 3*,

c. Nouella 118. in præf. quia & cognatio, à qua Succeſſio potiſſimum cauſam trahit ; *alia* eſt infra ſeu *Liberorum. alia* ſupra, ſeu *Parentum. alia* à latere, fratrum ſcilicet ſororum, cæterorumq; . prin: Inſt. de Grad: Cognat.

d. l. 1. & auth. præterea. *C.* vnde Vir. & Vxor. Nouell. 53. c. 6. Cum enim in matrimonio, quotidie fortuiti caſus emergant ; quorum alterutrum participem eſſe oportet. *l.* Si cum dotem. §. maritus. *ff* Soluto matrim. Cumq; inter coniuges, omnis vitæ conſortium ſit, diuini humaniq; . iuris communicatio, *l.* 1. *ff.* de ritu nupt. Virq; & vxor ſocij ſint diuinæ & humanæ domûs & vna caro. *l.* aduerſus. *C.* de crimin. expil. hered. ſocietaſq; vitæ, vxorem quodammodo, rerum mariti dominam faciat, *l.* 1. *ff.* de act. rerum amot: adeoq; maior, quo ad indiuiduam vitæ ſocietatem, ac bonorum communionem, inter coniuges coniunctio ferè ſit, quam inter parentes & liberos, cap. debitum. de bigam. non ordinan. Meritò coniuges deficientibus, intra gradum præſcriptum liberis, parentibus,

cæterisq; à latere consanguineis ; quamuis ante excluderentur à Fisco ; ad mutuam successionem, per Edictum, vnde Vir & Vxor, vocantur; immo & cum liberis concurrunt. *d.* auth. præterea, & Nouell. 53. Nouell. 117. c. 5.

e. *l.* 1. & *l.* vacantia *C.* de bonis vacan. videatur Conclusionis 4tæ. Corollarium 5tum. & dicta ibidem infra hic. Ante omnia discutiatur §. 4. Apparatus Præparatorij.

f. can. 1. 6. & fin. 12. Qu. 5. *tt.* de Successionibus ab intest. Extra.

g. Instit. de heredit. quæ ab intest. Instit: quibus mod. testam. infirm. *l.* si nemo *ff.* de testament tutel. *l.* si nemo *ff.* de *R. I.* vide Apparatum Præparatorium §. 1. *n.* 3. ad fin.

h. Inst. de seruil. cognat. vnde ibidem Arnol. Cor. duas Regulas eruit Successionum. *Alteram* Primum Ordinem præferri Secundo; Secundum Tertio. *Alteram.* Non semper Gradûs, sed sæpè magis Ordinis in successione haberi rationem.

i. Quæsitum hoc rectè inferri videtur, neq; enim etsi quos, aut nexus sanguinis, aut vitæ communio, aut ratio publica ad Successionem vocat ; ideò omnes idonei & à iure vocati censendi ; quandoquidem & deportati, seu perpetuò banniti *l* 1. *C.* de hered. inst. & serui pœnæ *l.* 17. *ff.* de pænis & læsæ Maiestatis Diuinæ vel humanæ rei. *l* 5. *C.* ad *L. I.* Maiest. *l.* 3. *C.* de Apost. *l.* 4. *C.* de Hæret. & Collegia illicita. *l.* 8. *C.* de hered. inst. & liberi ex damnato coitu nati. Nouell. 89. cap. fin. vide §. 5. Apparat. Præparatorij. & reliqui, qui ex testamento, iidem ab intestato heredes esse nequeunt. de quo infra vberius.

CONCLVSIO I.

a. Vide Apparatum Præparatorium § 1. *n.* 2.

b. vide Apparat. Præparat. §. 1. *n* 3.

c. Nouell. 118. c. 1. auth. in Successionem *C.* de suis & legit.

Liberos

30

Liberos enim, naturæ ſimul & parentum commune votum, ad Succeſſionem vocat. *l.* ſcripto. *ff.* vnde liberi. & naturalis ratio, liberis parentum hereditatem adijcit. *l*: cum ratio. *ff.* de bon: damnat. votiq; paterni eſt, liberis parare & locupletare eos. *l.* nihil intereſt *ff.* de bon. libert. adeoq; filij non debent theſaurizare parentibus, ſed parentes filijs. cap. cum Apoſtolus. de Cenſibus.

COROLLARIVM I.

d. Seu poſthumi, qui pro iam natis habentur, vbi de illorum vtilitate agitur. *l.* qui in vtero. *ff.* de ſtat. hom. quorum agnatione licet ſolenniter factum, rumpitur teſtamentum. Inſt. de exhered: libert.

e, *l.* 12. *ff.* de ſtat: hom. ex authoritate Hipocratis, perfectum fætum menſe ſeptimo poſſe naſci, concludentis.

f. Nam iura ſanguinis nullo Iure Civili (cuius authoritate emancipatio ſubſiſtit. Inſt. quib. mod. Ius Patr: poteſt ſoluit.) dirimi poſſunt. *l.* iura ſanguinis. *ff.* de *R. I.* & dicitur in text: §. minus ergo. Inſt. de hered. quæ ab inteſt. Licet per Emancipationem ſoluatur Patria Poteſtas, non tamen ſoluitur paternitas.

ff. tt. ff. & *C.* de collat. bonorum. Idipſum diſponitur Iure Saxon. *L. 1. art. 13.* emancipatos ad diuiſionē hereditatis, minimè admitti; niſi bona, cum quibus emancipati ſunt, cum iuramento contulerint: præter vtenſilia, & res expeditorias. *Procedit primò* etiam in illis, quæ pater filio, militiæ causâ dedit; vt ex ea militia omne lucrum conferre teneatur: deductâ nihilominus æſtimatione oneris. *l.* illud. *C.* de collat. quod extendi poteſt ad omne lucrum, quod filius fecit ex pecunia patris; vt ad collationem veniat. Lipſc. 1. Obſeruat. 64. n. 5, *Procedit ſecundò* etiam in dote filiæ, & in filij donatione ante nuptiali, quæ con ferri debent. Lipſc. ibidem.

Limitatur primò. In bonis, quæ ex teſtamento liberi

 conſecu-

consecuti sunt: ad hæc enim conferenda non obligantur. *l.* in quartam *ff.* ad *l.* Falcid. *Limitatur secundò.* In ijs, quæ filius adipiscendæ dignitatis causa, à patre accepit. *l.* 1. §. sed an id. *ff.* de collat. hoc enim propter onera dignitatis præcipuum habetur. vt textus loquitur. *Limitatur tertiò* in Vtensilibus & Expeditorijs rebus. vt dictum ex Iure Saxon. 4to. in ijs, quæ pater filio in studia impendit, & in ornamentis muliebribus, filiæ à patre comparatis, vt dicit Lipsc. 1. Obseruat. 64.

g. *l.* penult. *C.* de adopt. §. sed hodie. Instit. de adopt.

h. can. nullus 2. Q. 7. *l.* Deo nobis C. de Episc. & Cler. etiam Mendicantes; sed non Minores de Obseruantia & Capucini. Con. Trid. Sess 25. c, 3. de Reg. Excepta etiam Societate Iesu: quæ priuilegiũ istud quoad Professos non acceptauit. Laynman. de vltim. volunt. c. 5. In Gallijs monachismum professi, à Successione Legitima arcentur. Rebuf. in Prooem. Const. Reg. glos. 5. n. 21. Idem habetur Iure Saxonico *L. 1. art. 25.* vbi glos. triplicem differentiam ingredientiũ Religionem, ponit. Qué tamen articulum, vti Iuri Communi & æquitati contrarium, à Sede Apostolica reprobatum ad calcem Spec. Saxon. videmus. & diuersam praxim esse Iudiciorum Curiæ huiꝰ Regni demonstrat Lipsc. 2. Obs. 29. vbi eruditè satis totam hanc materiam discutit, & dicit Religiosos bona per Successionem ad se deuoluta, monasterio suo acquirere, prout Ius Comm. disponit. Regni Poloniæ Statuto, moniales ita demum in bona quæcunq; succedunt; vt ea nequeant alienare, dimidiumq; prouentuum ex ijs ad vitæ tempora habeant. Herburtus *v.* monialis. Quam dispositionem ad quoscunq; Religiosos Const. Anni 1635. extendit. Secus est, si abrenuntiationem de bonis quibusq; paternis, maternis successiuis, ijsq; tam terrestribus, quam ciuilibus fecerint. ita continua hîc in Regno praxis.

i. Si de matris Successione agatur, naturales tantùm perinde succedunt matri ab intestato, ac si ex iustis essent

nuptijs. *l.* hac parte. *ff.* vnde cognati. & concurrunt æqualiter cum legitimis naturales tantùm; sed non spurij. *l.* si qua illustris *C.* ad *S. C.* Orph. Lipsc. 1. Obseru. 69. Quòd si de patris Successione agatur, & soli naturales sint; in duabus vncijs cum matre, loco vxoris habitâ succedunt. Si vxor supersit legitima exdotata, impedit eos à Successione. Si legitimi matrimonij supersint; excluduntur ab illis naturales, solis alimentis prouisi. Nouel. quib. mod. nat. eff. legit. *l.* humanitatis & auth. sequ. *C.* de natural. lib. vide Lipsc. cit in loco.

k. Lib. 1. *SS.* art. 38. & 51. Const. Regni Anni 1578. vbi dicitur: Illegitima proles, etiam subsecuto matrimonio, non succedit, nec vnquam legitimatur.

l. *l.* intestato *ff.* de suis & legit. Nouel. 39. de restitutionibus, & de ea quæ parit in vndecimo mense puta procedente. seu medio.

m. Inst. de exhered. lib. §. 1.

n. quia non sunt liberi, qui contra formam humani generis procreantur. *l.* non sunt. *ff.* de stat. hom. Alimēta nihilominus consequi debent. Manz. de Success. Descen. §. 4. n. 81.

o. Quia Spiritualis necessitudo, nihil habet commune cum bonis externis. Gail. 2. Obser. 136. n. 17.

p. *l.* quisquis *C.* ad *L.* Iul Maiest. cap. vergentis de hæret. Ext. Gomez var. resol. tom. 3. cap. 3. n. 13. differentiam ponit, inter criminis Maiestatis reos, & hæreticos: quod illi nec ex testamento, nec ab intestato possint succedere; non tantùm Ascendentibus, sed nec Collateralibus, immò & Extraneis. *d* *l.* quisquis. Isti autem soli Ascendenti, qui illud crimen commisit, & cuius bona confiscantur. *l.* cognouimus & auth. idem est. *C.* de hæret. Statuto huius Regni disponitur sic: Bona hæretici confiscentur, exheres sit & infamis cum progenitoribus suis. Herb. *v.* hæreticus. quod procedere videtur ante Confœ-

derationē An. 1573. in qua Articul⁹, de pace inter diſſidentes in religione tenenda; an vim legis habeat? negatiuè concludit Lipſc. in Decad. Quæſt. vel procedit de hæreticis publicatis; vt vidimus in Arrianis ex hoc Regno publica Conſtit. Anni 1662. pulſis. Fallit in hæreticis non publicatis. Bulla Leon. X. Pon. Max. de licita communione cum eiuſmodi, Regno Poloniæ conceſſa. Eodem iure Regni huius, crimen læſæ Maieſtatis, non niſi in perſona Regis committitur. Conſt. Anni 1539. quomodo committatur, & iudicetur, Conſt. Anni 1588.

q. *l.* ſi ſpurius *l.* hac parte *ff.* vnde cognati. auth. ex complexu, *C.* de inceſtis nupt. §. fin. Nouell. quib. mod. nat. eff. leg. vide Apparatum Præparat. §. 5. n. 2.

COROLLARIVM II.

r. auth. in Succeſſione *C.* de ſuis & legit. lib. auth. nouiſſima *C.* de in off. teſtam. *Ratio primi.* qui differentiam ſexûs in hereditatibus adeundis inducunt; quaſi naturæ accuſatores exiſtunt; cur non omnes maſculos generārit: vt vnde generentur non fiant. *l.* maximum vitiū, *C.* de liber. præter. Et iniquum cenſetur, propter hoc ſolum puniri, quòd fæminæ natæ ſunt, & paterno vitio prolem innocentem prægrauari. *d.* auth. in Succeſſ. *Ratio ſecundi.* Inæqualitas ſeminarium diſcordiæ eſt. DD. ad *l.* inter filios. *C.* fam. herciſc. æqualitas mater concordiæ Nouell. 92. in præfat. Weſemb. in parat. de Collat Bonor. *tt. ff.* & *C.* de Collat. bonor. & Collat. quæ Collatio quibus in rebus fiat, videatur Lipſc. 1. Obſer. 64. vt ſup.

ſ. Vide Fachinet. Lib. 6. Controuerſ. Iuris. cap. 1. vbi tamen per filiam ex iuſtis nuptijs, filium naturalem Principis reſcripto legitimatum, excludi debere docet. Ita Iure huius Regni filia dote aſſignatā a patre, vel à fratribus, cum proximioribus vtriuſq; lineæ amicis, contenta debet eſſe, & à Succeſſione excluditur, Statuto Caſimir. Ann.

Ann. 1368. Quod fundatur in *l.* ſi filia, *ff.* de legatis. vbi textus: Id enim non difficile eſt ex dignitate & facultatibus, ex numero liberorum æſtimare. & *l.* cum poſt *ff.* de iure dotium: dotis quantitas pro modo facultatum patris & dignitate mariti conſtitui poteſt.

Quòdſi dotem aſſignatam non habuerit, exdiuiſionem in bonis paternis legitimæ ſuæ conſequitur: quam praxis huius Regni quartam plerumq; bonorum paternorum partem definit. Rationem huius excluſionis aſſignat Lipſc. 2. Obſ. 30. & 1. Obſ. 65. potiſſimam: vt conſeruetur Familiarum dignitas. per *l.* 1. *ff.* de inſp. ventr. Fæmina nimirum finis eſt familiæ ſuæ. *l.* pronuntiatio *ff.* de *V. S.* ſequiturq; forum, & familiam viri. *l.* fæminæ *ff.* de Senat. Et liberi in patris familiam reputantur, non matris *l.* familiæ *ff.* de *V. S.* Id ipſum habetur lege Moſaic: N. 27. vide Minſ. 3. Obſer. 26. Idem Nobiles Regalis Ruſſiæ Conſt. An. 1598. Varſauiæ obtinuerunt. Dummodò fæminæ ſint prouiſæ dotibus: dos enim ſuccedit in locum legitimæ & alimentorum, quæ ipſis omnino debentur. Weſemb. in parat. *ff.* de Iure dot. Gail. 2. Obſeru. 87. Talem praxim eſſe inter Nobiles Germaniæ, teſtatur Manz. hîc tit. 2. §. 1. vt filiæ, modicâ dote ſolùm contentæ ſint, & circa receptionem dotis, omni Succeſſioni de bonis paternis, maternis, ac ſucceſſiuis, renuntient. Videatur Gail. 2. Obſ. 120. & 140. Quod pactum renuntiationis hereditati, licet de Iure Ciuili nullum ſit; *l.* pactum dotale C. de collat; ſi tamen iuramento fuerit firmatum, valet Iure Canonico, cap. qvamuis. de pact. in 6. Praxi & Iure huius Regni, etiam ſine iuramento renuntiatio talis valet; dummodò ad Acta fiat. Stat. Caſim. Anni 1368. Secus eſt, ſi fratres deſint ſuperſtites: non obſtante enim pacto, de non petenda hereditate, ipſæ hereditant. Iagell. An. 1423. Sicut in bonis maternis æqualiter cum fratribus admittuntur. Vide Lipſc. 2. Obſer, 30. Quòdſi

neget

neget soror dotalitium, vulgò Reformationem inscriptam à marito habens, se exdotatam bonis abrenuntiasse; decernitur fratribus euasio iuratoria: quòd reformatio illa, ratione dotis iam persolutæ, facta sit. Łochowski de R. I. sub lit. S. & sup. in Appar. præparat. §. 2. n. 6. dictum. Et si sint prioris matrimonij filij, filiæ verò posterioris; nihilominus à fratribus debent dotari, bonis maternis earum, apud solas relictis. Si verò pater inter filios filiasuè vtriusq; matrimonij diuisionem fecit; rata esse debet. Herb. v. Dos. Casu verò, vbi Statutum viget; vt per patrem vel fratrem exdotata soror, à Successione excludatur: si frater decedat ante dotationem sororis, relictâ filiâ propria, filiam hanc succedere debere iure Repræsentationis, non sororem. *Secus* si frater relictâ filia præmortuus sit ante patrem; tunc enim soror succederet, non filia fratris. Sum. Sylu. Hereditas 1. n. 11. Adde plures casus ex Zawacc. in Flosc. Pract. v. Successio.

t. cap. 1. §. hoc autem. de his, qui feud. dare possunt. vide Schneid: in epit. feud. rub. de success. ab intest. nisi sint fæminæ speciatim in inuestitura positæ §. filia de success. feud. & *d. c. 1.* §. hoc autem.

u. cap. naturales. Si de feudo defuncti conten. sit. in vsib. feud. Nisi expresse de talibus in inuestitura habeatur: vel nisi legitimentur, non obstante *d.* cap. naturales. Schneid. *l. c.* Gail. 1. Obser. 140. Fach. lib. 16. cap. 1. Controuers. Secus est de legitimatis, per subsequens matrimonium: non solùm enim in allodialibus, at etiam feudalibus, & Emphyteusi Ecclesiastica, item in Iure Retractûs seu Protomiseos succedunt. DD. in *d.* cap. tanta. qui filij sint legit. Gail. 1. Obs. 14.

x. cap. qui Clericus. si de feud: defuncti content. sit. Qui enim incipit esse miles Dei, desinit esse miles seculi. cap. 1. de vasallo, qui arma bellica deposuit. adde cap. 1. ne Cler. vel Monach. Ext. Imola tamen Cons. 10. cen-

set con-

ſet, conſeruandos eſſe ad vitæ tempora in bonis feud. Idẽ habet & probat praxi Italiæ, Galliæ. & Germaniæ Lipſc. 2. Obſ. 29 n. 13.

y. §. Filia. De ſucceſſ. feud. & *d.* cap. 1. §. hoc autem. de his, qui feud, dare poſſunt.

y. Gothf ad cap. 29. Nouel. 22. Idem Iure Regni huius & Pruſſiæ Regal. vt ſup. litera *S.* inſinuatum.

COROLLARIVM III.

z. Tiraquel. Zoanet: de primatu prioris geniti Reg. c. 1.

ae. d. Zoanet: ibid. capit. 2. Ita Ordinatio Celſiſſimæ Domûs RADIVILLIANÆ Primogenito ſoli, Ducatum in Olyka & Nieſwież addicit. Eodẽ iure procedunt Marchionũ in Pinczow & aliæ in Regno Ordinationes. Vter verò præferend⁹ ſit patru⁹, an nepos ex filio primogeniti? Fach. concludit, nepotẽ præferendũ eſſe. Lib. 6. Controu. c. 2.

COROLLARIVM IV.

oe. text. Nouel. 118. cap 1. auth. in ſucceſſione *C.* de ſuis & legit. Concordat Ius Sax. Lib. 1. arr. 5. vide Schneid. de primo ordine ſuccedendi. num. 12.

ei. Manz. poſt alios, de ſucceſſione Deſcenden. §. fin. Quod ampliat ad pronepotes etiam, aliosq; ſiue ſint ſoli, ſiue cum illis remotioris gradûs Deſcendentes alij concurrant. vide Schneid de Succeſſ. Deſcen. n. 22. Idem habet Ius Terreſtre Pruſſiæ. Quam in Stirpes Deſcenden. remotioris gradûs Succeſſionem, confirmat Caroli 5. Cõſtit. An. 1521. & continua hîc in Regno praxis. Lipſc. 1. Obſ. 65. num. 7. Licet enim alias quilibet propinquior, quemlibet vno gradu remotiorem excludat, Auth. poſt fratres. *C.* de legit. hered. hoc tamen de Succeſſione duntaxat Collateralium currit, non Deſcendentium: qui quãtumcunq; remoti ſint, ab Aſcendente tamen ſanguinem traxerunt, & hereditatem eius a natura ipſa addictam ſibi

habent. vide Schn. de primo ordine succedendi, num. 22. Secus est in Successione Collaterali a Iure nimirum Ciuili firmatâ, iuxta DD.

ei. Plebiscitum Cracouien. his verbis in materia subiecta disponit. Concluserunt &c. Quòd nepotes & neptes sexûs vtriusq; ex filio vel filia progeniti, succedere debent loco parentum suorum mortuorum, in percipiendis bonis omnibus mobilibus & immobilibus, aui vel auiæ; ita videlicet intelligendo, quòd si filius tempore vitæ patris vel matris suæ, matrimonium contraxerit, vel filia marito dotata fuerit, & legitimâ relicta prole, viuente patre vel matre, è vita excesserit; pueri vtrorumq; tam filij quàm filiæ mortuo auo vel auia, in hereditatem eorum succedent, sortemq; ac partem vnam, quam pater vel mater eorum percipere debuerat, tollent; defalcato tamen imprimis eo, quod pater vel mater eiusmodi liberorum, tempore vitæ suæ, de bonis parentum acceperat. De nepotibus verò ab emancipatis filijs vel filiabus procedentibus, hoc est, quorum pater vel mater coram aliquo Officio Consulari, vel Iudicij, bonis abrenuntiauerint paternis vel maternis, secus erit intelligendum; tales enim in bonis aui vel auiæ hereditare vel succedere minimè poterunt, cum nec parentes eorum si superuiuerent, ex eo, quia successioni abrenuntiauerunt, quidquam perciperent; nisi filij non emancipati, vel illorum heredes, seu descendentes deficerent: illis enim deficientibus, filij emancipati vel ab iis descendentes succedent parentibus suis, & in eiusmodi Successionem omnibus Collateralib9, quantumcunq; proximis præferendi erunt, emancipatione eiusmodi illis minimè obstante.

ei. Plebiscito Leopolien. nouissimo admittuntur quidē cum patruis suis & amitis, ad portionem æquam bonorum omnium, sed pro bonis immobilibus, pecuniam tantùm, aut mobilia bona consequuntur, iuxta taxam Magistratus,

ſtratûs, vt patet ex verbis hic appoſitis. *Statuimus.* Quòd nepotes in loco parentum ſuorum non expeditorum, ſexûs vtriuſq; iure Repræſentatiuo, poſt eorum mortem, æquam ſortem ex bonis omnibus mobilibus & immobilibus hereditarijs, cum patruis & materteris accipiant, idq; in hunc modum. Quòd omnes quicunq; ad Succeſſionê eiuſmodi de iure pertinebant, debent comportare pro intereſſe ſuo vniuerſa bona, quæcunq; à parentibus ſuis acceperint, vel parentes quouis modo in vſus illorum impenderint. Quibus comportatis, factâq; prius diuiſione mobilium, deinde taxatio immobilium, per Iuratos Ciues, quos Conſulatus ex Officio ſuo deſignauerit, fieri debet. Ex qua taxatione ſortes bonorum immobilium, quæ ex diuiſione nepotibus prouenerint, per proximiores heredes pecunia, aut bonis mobilibus ſolui & redimi debent; atq; ita vniuerſa bona immobilia, ſeu ſtantia, ipſi filij, aut filiæ, vti gradu proximiores, hereditariè obtinebunt, & in eis hereditabunt; perpetuè & in æuum &c. Sigiſmundus Auguſtus.

COROLLARIVM V.

a. Ludou. Engel. in Collegio Vniuerſi Iuris Lib. 3. tit. 16. num. 11.

b. capit. vlt. de conceſſ. præbend. capit. ex literis eodem tit.

c. Garc. de benef. p. 5. cap. 9. n. 186. vbi vult, quòd impubes vltra ſeptimum annum, & in annis diſcretionis conſtitutus legitimè præſentet, & præſentationi Tutoris contradicere poſſit.

d. Barb. Iuris Eccl. vniuerſi l. 3. c. 12. n. 20. &c. & alleg. Engel. num. 15.

e. *d.* cap. ex Literis.

f. cap. cum Bertholdus. de ſent. & re iudic.

g. Abb. in *d.* cap. ex Literis num. 5.

h. Barb. *l. c.* num. 238.
i. Riccius, in praxi aurea par. 3. resol. 483.
k. Barb. ibid. adde Engel. *l. c.* n. 25. vide ad pleniorem informationem Ioan. de Luca in Theatro Verit. & Iust. de Iure Patronat. Discur. 59. 60. 61. 62.
l. Ioannes de Luca *l. c.* Disc. 60. num. 28.

CONCLVSIO II.

a. Nouell. 118. c. 2. auth. defuncto. *C.* ad *S. C.* Tert. vide Forst. Lib. 7. c. 1. n. 7. & 8. vbi dicit. Ascendentium ordo merito secundus est; cum post Deum ad parentes ortûs nostri causam referre cogamur.

b. Lib. 2. Feud. De natura success. feudi, vbi textus: Successionis feudi talis, est natura; quod Ascendentes nō succedunt. *Limita.* Nisi aliud in inuestitura sit expressum: hæc enim omni Iuri & naturæ feudali derogare potest. Gail. 2. Obs. 50. n. 15.

c. Lib. 1. SS. art. 17. Patre non exstante, succedit Mater exclusis Collat.

d. Lipsc. 2. Obs. 21. Fundamentum dispositionis eiusmodi est in *l.* Sancimus. *C.* comm. de success. quâ fratres, vtrinq; coniuncti, excludebant parentes, à successione fratris defuncti: & quod contra ordinem naturæ sit, vt pater filio succedat. Vnde talis successio, ordine mortalitatis turbato, fieri dicitur arg. l. 15. *ff.* de in off. test. passimq; hereditas liberorum, in Iure vocatur luctuosa portio, luctuosa hereditas, tristis Successio, duræ fortunæ solatium. Goth. ad l. 7. *ff.* de bon. damnat. Adde dicta in Apparat. præpar. §. 4. n. 3. & Concl. 1. lit. *c.*

d. Ius Terrestre Prussiæ Regalis, post liberos defuncti, fratres, eorumq; Descendentes vocat; his non exstantibus, tertio demum loco, quoscunq; parentes admittit, quarto loco cognatos vel agnatos, vt patruos, auunculos &c.

los &c. vide Ius Terrestre Prussiæ An. 1598. correctum tit. de Success.

COROLLARIVM I.

e. l. 2. & sequ. *ff.* ad *S. C.* Tertullian. *l.* omne *C.* eodem auth. eisdem pœnis. *C.* de secundis nuptijs. Aliud tamen est in praxi: non enim mater ob id priuatur Successione pupilli, sed mulcta aliquâ pecuniaria punitur. Groeu. in l. 8. *C.* de legit. hered. Quod an extendatur ad auiam? controuersum est inter DD. vide Manz. hic. Tit. 3. § 4. n. 62. Satis exactè singula puncta in Corollario allata discutientem.

f. Vide Manz. *c. l.* §. fin.

g. Sicut enim spurij, alijq; incestuosi non succedunt patri, de quo supra Concl. 1. Corol. 1. lit. *i.* ita neq; hic spuriis succedit; sed sola mater: cum spurius retineat solum ius cognationis in matribus & coniunctis per lineam maternam *l.* si spurius. *ff.* vnde cognat. Gail. 2. Obs. 115. pater autem horum incertus est. vt supra in Apparatu Præparat. §. 5. n. 4.

h. Gail. 2. Obs. 136. & *d.* sup. Con. 1. Corol. 1. lit. *o.*

i. *l.* penult. *C.* de adopt. Pater enim naturalis ei succedit, retinens ius Patriæ potestatis. Inst. de adopt.

k. §. Cum autem impubes, Inst. de adopt.

l. §. mortuo. Inst. de acquis. per arrog. Et vide Manz. *l. c.* §. 3. n. 44. & sequ.

m. Nouel. 115. c. 4. vide notas ad Corol. 1. Con. 1. l. *p.*

COROLLARIVM II.

n. Nouel. 118. cap. 2. vide Manz. hic. Tit. 4. §. 1.

COROLLARIVM III.

o. Ita colligitur ex Nouel. 118. c. 2. quæ cum indistinctè in §. Si autem. loquatur, nec inter bona materna vel paterna distinguat; neq; nos distinguere debemus. per *l.*

 Præses,

Præſes, *ff.* de Off. Præſidis. Manz cum alijs hîc, tit. 4. in prin. contra Bart. in *l.* Quod ſcitis. *C.* de bonis quæ liber. Adde Lipſc. 2. Obſ. 21.

p. d. Nouel. cap. 2. auth. defuncto. *C.* ad *S. C.* Tert. Quam ſucceſſionem cum non poſſit dici in Stirpes, poſſe dici *Linearem* rectè notat Manz. *l. c.* §. 2. n. 34. vide Apparatum Præparat. §. 4. n. 2.

COROLLARIVM IV.

q. d. Nouel. 118. c. 2. §. ſi verò. & *d.* auth. defuncto. Dicitur vtrinq; coniuncti, adeò, vt ne quidem conſanguineus frater cum patre, aut vterinus cum matre concurrat. Fach. lib. 6. Controver. cap. 8.

r. Nouel. 127. c. 1. v. g. Si defunctus relinquat patrem, fratrem, & exaltero fratre nepotes duos; partem vnam capiet pater, alteram frater, tertiam nepotes. Item ſi relinquat v. g. patrem, matrem, tres fratres, & ex quarto decem nepotes ſuos; hereditas tota in ſex partes diuidetur, vnam accipient illi decem, reliquasſinguli enumeratorũ. Forſt. L. 7. c. 5. n. 4. Weſemb. in parat *ff.* de Grad. Cognat. n. 15. Et vide Manz. hic, tit. 5. §. 1. Contra Giph. Inſt. de Succeſſ. ab inteſt. Iure Nouiſſ.

r. Neq; enim vltra fratrum filios Ius Repræſentation. extenditur. Nouel. 118. c. 3. auth. poſt fratres. *C.* de legit. hered. Manz. *l. c.* n. 5. 6.

ſ. Lipſc. 2. Obſer. 21. n. 12. eò quòd in textu Iuris Saxon. lib. 1. art. 17. ſolius patris & matris mentio ſit. porrò a verbis legis, ſeu ſtatuti, in dubio minimè recedere licet per tex. l. 1. §. licet *ff.* de exercit. act. Videatur Staniſlaus Eichlerus Aduocatus Iuris Magd. Caſtr. Cracouien. Nec obſtat, quod eodem teſte in Curia Regali, aliquando in ſucceſſione neptis, auia prælata eſt fratri diſtincto: quia hoc factum ob remotiorem gradum fratris diſtincti. idem, ibidem. Lipſc:

COROL-

COROLLARIVM V.

t. Manz. l. c. §. 2. n. 60. & sequ. vbi dicit. Nunquid iniquum est, fratrem melioris conditionis esse, quam patrem? & R, non. Pater enim peccauit non frater. è cōtra, licet mater peccauit, sed peccatum doloribus partus, & subsecutis laboribus ciuiliter diluit.

u. Manz. ibid n.77. Arrogator verò, an arrogato cum fratribus eius vtrinq; coniunctis succedat; controuersum est. vide Manz. ibid. n. 71. vbi excludi debere arrogatorem concludit. n, 78.

w. Manz. l. c. §. fin. vbi multa hanc in rem.

CONCLVSIO III.

a. auth. Cessante C. de legit. hered. Nouel. 118. cap. 3. SS. Lib. 1. art. 17. Lipsc. 1 Obs. 66. Dixi in immobilibus, quia eodem Iure Sax. in Hergeweth agnati; in Gierade præferuntur cognati. de quo supra. & vide Lipsc. 1 Obser. 56. & 57. vide Manz. quo ad success. Collat. in feud. tit. 6. §. 4.

b. Quia tales fruuntur omni Iure, quod leges concedunt legitimis & naturalibus simul. Gail. 2. Obs. 114.

c. Manz. l. c. prin. n. 17.

d. *l.* Deo nobis *C.* de Episc. & Cler. vide Conclus. 1. Corol. 1. lit. *h.*

e. Statut. Herb. *v.* filiæ, his verbis. Filia tum demum, quando fratres non habent germanos, ipsa hereditat, nō obstante pacto inter maritum & eius tutorem, de non petenda hered. facto. vide Casum in summ. Sylu. Hereditas 1. n. 11. immò nec sorori exdotatæ succedit, sed fratres tantum superstites: dos enim sicut à fratribus prodijt, ita ad fratres eosdem redire debet. Lochow. de *R.I.* lit. *S.* Neq; cum nepotibus suis ex fratre germano concurrit, scilicet in bonis à patre profectitijs. ibid. & dicetur infra Corollario 4.

e. vide

e. Vide Conclusionem 1. Corollar: 1. lit *h.*

COROLLARIVM I.

f. Nouel. 118. c. 3. auth. post fratres. *C.* de legit. hered. L. 1. *SS.* art. 2*b.* *Rat: Iuris* Ciuilis in c. 1 de treug. & pac. & in *l.* penult. *C.* de adopt. quòd duo vincula fortiùs ligent *Rat. Iuris Saxon:* quod frater distinctus ab indistincto, sit vno gradu remotior. L. 1 *SS.* art. 3. vide Lipsc. 1. Obs. 65. n. 4. & 1. Obs. 68. Hæc tamen duplicitas vinculi in feudis non attenditur. Gail 1. Obs. 151.

g. Lipsc. 1. Obser. 68. num. 7. vbi praxim Curiæ Regal. allegat.

g. post Gail. Lipsc. *l. c.* ad finem.

h. *l.* 13. *C.* de legit. hered. Mynſ. de concur. vter. & consang. n. 7. Fachin. tamen existimat, fratrem vterinum & consanguineum æqualiter succedere debere fratri intestato. lib. 6. Contr. cap. 5. Et distinctionem hanc bonorum vltra filios fratrum non extendi deducit. Manz. hîc num. 9.

i, Schn. hîc. *v. g.* si intestatus habeat quædam bona post patruum, vel amitam suos; quædam post auunculum vel materteram, & relinquat fratrem vterinum & consanguineum alterum: ambo isti in vtrisq; bonis succederent æqualiter.

k. Wesemb. ad Schn. hîc n. 21. idem esse Iure Bauar. testatur Manz. hîc n. 6.

k. Vide Lipsc. 1. Obser. 67. n. 1. 2. & sequen.

COROLLARIVM II.

l. Nouel: 118. c. 3. Hanc filiorum cum patruis suis concurrentium, in Stirpes Successionem, seruari, praxi huius Regni, demonstrat Lipsc: 1. Obser: 65. n. 7. & Caroli V. Constitut: An: 1521.

m. Lib: 1. *SS.* art: 3. de quo vide Lipsc: *l. c.* ex eo, quòd

hoc

hoc Iure, fratrum filij fint remotioris gradûs, quàm patruus eorum: neq; Repræfentatio in Collateralibus locũ habeat eodem iure. In quo fequitur Ius Saxon: difpofitionem legum 12. Tabul:, vt patet ex §. fi plures. Inft: de legit: agnat: Succeff.

m. Lipfc: l. c. num: 5.

n. d. auth: poft fratres. Iuris Saxon: Interpretes communiter. *Ratio Iuris Communis.* Quia iure Repræfentationis fuccedunt fratrum filij, feu vt Lipfc dicit *l. c.* quòd hereditas pleniori iure debeatur Defcendentibus, quàm Afcendentibus. auth: ceffante *C.* de legit: hered: *Ratio Interpretum Iuris Saxon:* quia Repræfentationi in Collateralibus, hoc Iure non eft locus; & hoc cafu paritas gradûs, inter filios fratris & patruum eiufdem, intercedat; vt dicitur in *d.* auth: poft fratres.

o. d. Nouel: 118. cap: 3. Lib: 1. *SS.* art: 3. & vide Lipf: 1. Obfer: 67. n. 3. & fequ:

p. v.g. Si quis relinquat patruum fuum, auunculum, amitam, vel materteram, & fratris fui prædefuncti filios; hi & fi fint æqualis gradûs tertij cum illis, potiores tamen habentur, & excludunt alios: propter Ius Repræfentationis, finguntur enim defuncto effe coniuncti gradu fecundo. vide Manz: tit: 6. n. 31. fecus Iure Sax: vt fup: lit: *n.*

q. Conft. Caroli V. Spiræ An: 1529. Facit difpofitio Iuris Sax: Lib: 1. art: 17. vide Lipfc: 1. Obfer: 66. n. 3. vbi Azonem, Zafium fecutus, rationem firmam ponit: quia quando fratrum filij, ad patrui Succeffionem foli vocantur; ex fua duntaxat perfona veniunt ac ideo in capita: non ex perfona patris, atq; adeò iure Repræfentationis: quod feruatur, quando non foli vocantur; fed alter patruus cum illis concurrit: tunc enim eft iuri Repræfentationis locus, & ideo veniunt in Stirpes. Vide Manz: tit: 6. n. 40. Statutum etiam Bauariæ allegantem.

COROLLARIVM III.

r. *d.* Nouel: 118. cap. 3. & *d.* auth: post fratres.

s. vide Manz: tit: 7. num: 10. vbi & Constit: Bauariæ allegat: quia tunc iure suo succedunt, non ex persona patris, vt dicitur ibi.

t. *d.* auth: post fratres. & glos: ibid: *v.* filii horum. & *d.* Nouel: 118. cap: 3. vide Lipsc: 1. Obser: 67.

u. Quia hoc iure patrui, auunculi & similes, sunt patris gradûs tertij, cum fratribus & sororibus, ex vno latere, defuncto coniunctis, iuxta dicta superiùs. & vide Lipscium loco proximo. Sequendam tamen esse dispositionẽ Iuris Communis; vt distinctus frater excludat patruum, praxi confirmat, idem, ibidem.

w. Manz: tit: 7. n. 9. Ius Bauariæ allegans. & *Ratio est:* quia ius Repræsentationis in Collateralibus ad nepotes non porrigitur, vt supra dictum. Conclus: eadem Corol: 2. lit. *m.* *n.*

x. Schneid. de Success: frat: & sor: ex vno latere. n. 24. Et defuncti patruum, auunculum, & similes excludunt. iuxta *d.* auth: post fratres, & Nouel: 118. ibi. id autem priuilegium. Manz: *l. c.* num: 6.

COROLLARIVM IV.

y. Herb: Stat: *v.* Dos filiæ. Lochowski de *R. I.* lit: *S.* vide notata ad Corol: 2. Conclusionis primæ, lit. S. Adde ibi notanter Lipsc: 2. Obser: 30. doctè ista discutientẽ, & concludentem ex Iure huius Regni & Saxonico.

z. Zawac: in Flosc: pract: *v.* Successio.

COROLLARIVM V.

ae. *d.* auth: post fratres. & *d.* Nouel: 118. cap: 3. in fin.

ei. *d.* auth: post fratres. & *d.* Nouel: 118. cap. 4. Libro 1. *SS.* articulo 17. Ita, si quis relinquat patruos & auunculos, aut patruos, & amitas: item patruum magnum

gnum & nepotes fratris sui: item si relinquat patruum vtrinq; coniunctum, & alterum patruum distinctum, æqualiter succedunt. (licet quoad casum hunc, aliam esse praxim fori Saxonici, dicat Schneid: de Success: cæterorũ Collat: n. 35.) vide Manz: tit: 9. hîc vbi amplificationes & limitationes plures.

eu. Neq; enim natura, extra hunc facilè gradum cognatorum, vitam consistere patitur. *l.* non facile. *ff.* de grad: & affin: licet non desint, qui putent Successionem Collateralium in infinitum extendi. vide Manz: *l. c.* n. 33. Cessat in bon: damnat: in quibus Collaterales ad tertium tantùm gradum regulariter admittuntur. auth: bona damnat: *C.* de bonis damnat: *l.* cum ratio *ff.* eodem. Excipe crimen læsæ Maiestatis Diuinæ, & humanæ, indistinctè enim confiscantur. *d.* auth: bona dam. Cessat in Feudis: nam Collaterales ad septimum tantùm gradum vocantur agnati: si nimirum post primum acquirentem, ad Collateralem seu fratrem deuoluatur Feudum. *c. 1.* de his, qui feud. dare poss: vide Lipsc: 1. Obs: 73.

oe. In hoc tamen Ius Saxonicum minimè differt à Iure Commun: quantumuis enim textus Lib: 1. *SS.* art: 3. dicat: quòd cognatio septimo gradu finiatur; perinde tamen est, hoc Iure dici septimum gradum, ac Iure Communi decimum: membrum enim annexionis brachij & corporis, seu locus, vbi fratrum germanorum, sororumué proles collocantur, dicitur in Iure Sax: primus gradus, qui tamen esse Iure Ciuili quartus. De quo Lipsc: 1. Obs: 67. n. 6. & vide Arborem Iuris Saxon.

au. Const: Anni 1588. Bona Nobilium vacua herede non censeantur, quamdiu Successor ad octauum gradum inclusiuè, probari legitimè, ex vtraq; linea potest: cuius rei iudicium ad iudicia pertineat. Computatio autem hæc, iuxta quam Arborem fieri debeat, Iurisnè Communis an Saxonici? praxis hîc obtinet iuxta Arborem Iuris Canonici.

CONCLVSIO IV.

a. l. 1. *C.* vnde vir & vxor.

b. Prouiſio enim hominis, tollit prouiſionem legis. *l.* fin: *C.* de pact: con: vide Gail: 2. Obſer: 125. & 126.

c. Statutum enim & conſuetudo, derogant Iuri Communi, in loco vbi vigent. *l.* exigere dotem *ff.* de Iudicijs.

d. Vide Schneid: de Succeſſione viri & vxoris, vbi etiam diſquirit eleganter n. 4. an Statutum domicilij vel originis attendendum ſit. Adde Manz: tit: 11. §. fin: hîc.

COROLLARIUM I.

e. auth: præterea *C.* vnde vir & vxor. Nouel: 53. c. 6. & Nouel: 117. c. 5. vide Manz: *l. c.* §. 1. vbi multas ampliationes accumulat. Quando verò coniunx dicatur inops, relinquitur iudicis arbitrio. gloſ: *d.* auth: præterea. *v.* locuples. & vide Lipſc: 2. Obſer: 22. n. 4.

f. Lipſc: *l. c.* vbi dicit: indiſtinctè maritus, etiam liberis exſtantibus, vxori ſuccedit: non ſolùm in dote, quam in pecunia numerata, attulit ad maritum; ſed etiam in alijs omnibus bonis mobilibus, & paraphernalibus; quæ videlicet, vltra dotem datam, vxor reliquit, exceptis immobilibus & vtenſilibus, id eſt Gerada. Dicit enim textus Iuris Saxon: lib: 3. art: 76. Si vxor deceſſerit, vir obtinet plenum ius in bonis omnibus mobilibus. vide Lipſcium Obſeru: ſequen: & 1. Obſer: 55. Dummodo tamen liberi legitimam ſuam aliunde conſequantur, alias ex mobilibus etiam, quæ marito cedunt, eam deducunt: vt pote quæ ipſis iure naturæ debetur. *l.* ſcripto *ff.* vnde liberi. & *l.* cum ratio *ff.* de bonis damnat: & nullo ſtatuto, vel conſuetudine, illis auferri poteſt. iuxta auth: nouiſſima. *C.* de inoff: teſtam: quod ipſum de legitima parentum, dicend: §. primum itaq;. Nouel: de hered: & falcid. Et nota apud Lipſc: loco cit: n. 7. & ſequen: pecuniam in-

tet

ter mobilia poni, sed non census ab ea prouenientes, & annuos redditus ; cum hac tamen distinctione : quando debentur census ex re immobili, pro pecunia obligata ; inter immobilia census eos computari : quando verò debentur ex obligatione personali, inter mobilia. de quo Gail: *l.* Obser: 11. Non succedit igitur maritus, in censu immobili, vxori suæ; nisi qui viuente adhuc vxore, solui debebat. per text: *SS*, lib: 3. art: 76. pecuniam tamen, quam vxor dedit mutuò pro pensione annua, consequitur. Lipsc: ibidem n. 9.

g. l. 1. *ff.* vnde vir & vxor. *l.* qui contra. *C.* de incest: nupt.

h. eo nimirum casu, quando fit diuortium, ex culpa alterius coniugis : tunc enim, qui est, in culpa, *h. e.* qui dat causam iniuriæ coniugi ; perdit dotem, vel donationem propter nuptias. glos: art: 21. l. 1. *SS.* Secus est, si diuortium ex iusta causa subsecutum. quod praxi Curiæ confirmat Lipsc: 2. Obseru: 25.

i. arg: l. 3. *ff.* de his, quæ vt indignis. *l.* si ab hostibus, §, si vir *ff.* solut. matr.

k. Necare enim videtur, qui alimenta denegat *l.* necare. *ff.* de liberis agnosc: & alend: can: 21. Dist: 86. Idē est, si ægrotam deseruit, medicum non adhibuit, cum posset, vel adhibuit, sed imperitum, & vxor mortua est. vide Manz: hîc tit: 11. §. 5. vbi plures limitationes congerit.

l. Manz: tit: 11. hîc. num: 10. & 63. Adde Græuæum lib: 2. Concl: 80. vbi Quæstio. an sponsalibus de præsenti contractis, lucretur sponsus dotem ; ex Statuto lucrum dotis marito, deferente? pro vtraq; parte ventilatur.

COROLLARIVM II.

m. Vide supra lit: *f.*

n. L. 1. *SS.* art: 22. & sequ. Lipsc: 1. Obser: 56. & 2. Obser: 22. Obs: 25. *Et nota.* donationem propter nuptias,

vulgò dici dotalitium. in Statut: Regni Poloniæ, & ſtylo foren: Reformationem. quæ duplicata reſpectu dotis fieri conſueuit. teſte Lipſc: 1. Obſer: 55. num: 8. & dicitur propriè remuneratio, à marito in bonis ſuis, vxori in recompenſationem dotis facta, in rebus ſiue immobilibus, ſiue mobilibus. vide Lipſc: 2. Obſeruat: 22. num: 11. Sponſalitia largitas eſt donatio, quam facit vir Nobilis in vxorem; antequam cum ea ad menſam diſcubuerit; licet quouis alio tempore eam facere poſſit. iuxta gloſſam art: 22. Iuris Municip: & vide Lipſc: *d.* Obſer: 22. n. 13. Utenſilia ſeu Gerada non tantùm ſunt omnia illa, quæ ad ornatum mulieris ſpectant; ſed etiam quidquid ad domum viri alicuius in communi pertinet. L. 1. *SS.* art: 24. & vide Lipſc: 1. Obſeru: 56. & 2. Obſeru: 22. num: 12. Res Expeditoriæ, ſeu Hergeweth quæ ſint, vide eundem Lipſc: 1. Obſeru: 57.

COROLLARIVM III.

o. Idq; ſimul ac ſecum menſæ accubuerint. Lipſc: 2. Obſeru: 22. vt *d.* ſup:

o. Plebiſcitum Ciuitatis Leopolienſis hîc in Regno, in tertiam bonorum partem, coniuges inuicem ſibi ſuccedentes vocat, prout ex tenore eiuſdem patet. STATVIMVS. Quòd legitimè viro & vxore matrimonium contrahentibus, bonaq; hereditaria mobilia & immobilia ex vtraq; parte, vel ex vna tantùm in ſimul comportantibus; illa omnia bona debent indiuiſa eſſe, & ad vnum coadunata. Dum autem contingat vxorem decedere ab hac luce, & marito ipſius ſuperſtite remanente; idem maritus heredibus aut conſanguineis vel proximioribus dictæ vxoris ſuæ, ſexûs vtriuſq;, tertiam partem omnium bonorum mobilium & immobilium, pro Succeſſione materna dare tenentur; duabus partibus eorundem bonorum pro ſe reſeruat: Si verò maritus arma bellica & alias res Iure Maydeburgenſi

gensi Hergeweth vulgariter dictas, pro vtilitate sua voluerit obtinere; illa in diuisione secundùm taxam & valorem ad partem ipsius computentur. Item mortuo marito vxore illius superueniente, ipsa vxor ratione dotis, & dotalitij, tertiam partem eorundem bonorum quorumlibet mobilium & immobilium; totaliter obtinebit: duabus partibus pro heredibus aut consanguineis, vel proximioribus dicti mariti, sexûs vtriusq; reseruatis. Attamen, si vxor pro vtilitate sua, aliquas res ornamentorum seu supellectilium, quæ Iure Maydeburgen: Geradæ vulgariter nuncupantur, voluerit obtinere; illa, in diuisione bonorum, ad partem suam taxentur & computentur. Cæterùm si post mortem matris, aliquem de pueris, siue heredibus, patre in humanis agente, mori contingat; extunc pars eiusdem pueri, siue heredis morientis, ad patrē deuolui debebit pleno iure. Et similiter, si aliquem puerorum siue hered: post obitum patris, viuente matre mori contigerit; extunc pars pueri defuncti, seu heredis ad matrem debebit pertinere. Cæterùm statuimus, & priuilegij munimine roboramus: quod liceat marito, vxori suæ legitimæ, prole carenti, omnia bona sua coram Bannito Iudicio nostro, Statuto prædicto non obstante, liberè resignare. Et etiam vxor non habens prolem, marito suo legitimo, dum tamen ad resignationem bonorum ad eam pertinentium, per eundem maritum suum, metu non fuerit compulsa, per procuratorem idoneum, bona huiusmodi, similiter in Bannito Iudicio, liberam habebit resignandi facultatem. Super quo volumus, quòd dictæ ciuitatis Consules diligentiam faciant, in huiusmodi resignationibus mulierum, matitis suis factis: vt non sint compulsæ vel coactæ. Vladislaus Rex Poloniæ. A. 1422.

Plebiscitum Cracouiense de Gerada sic habet. Præterea ad præcludendam viam difficultatum, quæ in Ciuitate oriebantur, vel oriri quouis modo possint, occasione

para-

40

paraphernæ, supellectilisq;, vxore mortuâ relictæ, conclusum vna cum tota Communitate est, perpetuò in Ciuitate, à quouis homine seruandum: quòd quandocunque vxor alicuius ciuis hac luce decesserit, relictis pueris, filijs vel filiabus, vno vel pluribus; extunc parapherna omnis, quæ Gerada vulgò dicitur, supellectilis tota, quocunque nomine vocetur, non ad aliquem alium, nisi ad maritum & pueros ipsos, cuiuscunq; sexus fuerint, pertinere debet: alijs omnibus dictæ mortuæ propinquis, sororibus, cognatis, penitus exclusis: puerisq; tandem ab hac luce decedentibus illud totum, vt iuris est, patri cedet. *Si verò* vxor mortua prolem non reliquerit, extunc id totum, quod ad paraphernam spectat, vel spectare iure cernitur: quod ipsa secum in domum mariti importauit, eâq; viuente, interim à se non alienauit, vel temporis longitudine contrita & consumpta non sunt; sorori dictæ mortuæ, aut propinquiori in linea cognatæ, per maritum extradatur. Alia supellectilia in auro, & argento, Clenodijs, pecunijs paratis, & alijs omnibus rebus, per eandem in domum mariti importa, à maximo ad minimum, quæ ad paraphernam, seu ad Geradam non pertinent, circa maritum vxoris mortuæ remaneant: pro quibus omnib9 à propinquis, maritus ipse nullo modo impeti debebit; verùm illa maritus liberè pro libitu conuertet suo, nulli exinde rationem faciendo. Hoc etiam præcustodito, quòd soror illa vel cognata, quæ Geradam huiusmodi accipere debebit, ex his, quæ acceptura erit, marito mortuæ relinquere tenebitur, id, quod ius disponit: hoc est, lectum, strata lecti, ac alia in iure descripta. Illa etiam omnia, quæ vir vxori ante & post nuptias, pro decore & ornatu suo emit & comparauit in auro & argento, vestimentis, clenodijs, monilibus, ac alijs omnibus rebus, nullis exceptis; inter paraphernam seu Geradam nequaquam computari debent; verùm mortuâ vxore, ea omnia, vir apud

se tan-

se tanquam propria retinebit, nec pro eis cuiquam respondere tenebitur. Si verò maritum priùs quam vxorem mori contigerit, siue extabunt pueri vel non, paapherna omnis, ac supellectilis tota, quam secum vxor importauerit, tum & illa, quæ maritus ante & post nuptias sibi dedit, coëmit, & comparauit, in auro, argentoq;, clenodijs, vestimentis, & id genus rebus, apud relictam viduam remanere debebunt, & pro libitu ipsius conuerti. Et vide Enchirid: Cerasini tit: Gerada ad fin: Adde Manz: tit: 11. §. 4. vbi communionem acquisitorum inter coniuges, Statutis multarum Gentium deducit, vt Hispaniæ, Galliæ, Lusitaniæ, Bauariæ, &c.

COROLLARIVM IV.

p. Herb: Stat: *v.* Dos, Aduitalitas, Vxor, Vidua. Adde Lipsc: 1. obseru: 55. vbi deducit, Dotem soluto matrimonio morte vxoris, sine liberis decedentis; eò redire debere, vnde profecta est: tum ex Iure Ciuili per *l.* vn C. de rei vxor: actione: tum de Iure huius Regni, vt supra. Iudiciorumq; post Curiam praxi. Licet Iure Saxon: si dotis nomine pecunia data, sit; cedat lucro mariti: nisi aliud pactis dotalib⁹ actum sit; vt idem Lip. dicit ibidem. quo etiam casu, mulier seu heredes eius dotalitium consequuntur à marito. ibidem.

COROLLARIVM V.

q. l. 1. & *l.* vacantia *C.* de bon: vacan: *l.* si seruus. *ff.* de legat: *l.* fiscus. *ff.* de iure fisci. dicitur actiuè & passiuè fiscus succedere, *h. e.* & in bona & in onera. ita, vt fiscus idem præstare debeat, quod priuatus quispiam successor præstiturus esset.

r. Schneid: de Successs: Fisci. num. 14. & diximus supra Concl: 3. Corol: 5. lit: *oe.*

s. *v. g.* Natos ex damnato complexu, læsæ Maiestatis criminis reos &c. paria nimirum sunt, nullum esse here-

dem, & esse incapacem, vel minùs idoneum arg: l. 27. C. de Episc: aud: l. quisquis C. ad l. Iuliam Maiest. Casu tamen, quo incestuosus habeat vxorem, vel contra, non excluditur cõiunx à Successione eius per Fiscum. l. 4. C. de bon: vacan: & ita se respondisse dicit Manz: tit:12. n.13. hic.

t. Paria enim sunt, heredem non esse; & esse, sed repudiare. l. vn. C. quando non petentium part: peten: accres.

u. Qui censeantur Successionis indigni, patet ex ff. & C. de his, quæ vt indignis auferuntur. & vide Wesemb: in parat: Et differunt indigni, ab incapacibus, quòd isti pro non existentibus habeantur, & alijs locum cedunt; illi hereditatem quidem capiunt, sed reuocabiliter, vt eã Fiscus auferat. Farinac: in fragmen: v. Fiscus n. 35.

w. l. affinitatis. l. nutritoribus. C. Comm: de Success.

x. l. Simile. ff. ad municip: l. 1. C. de bon: vacan: Gail: 2. Obseru: 130.

y. Schneid: de Iure Fisci. n. 17.

z. Dixi etiam incestuosi; immò ipsam incestuosam, vt sup: Manz: etiam ob crimen damnati. Consequitur enim vxor eius, suam quartam, vel filialem; quamuis agnati & cognati in quarto gradu, per Fiscum, à Successione eiusmodi arceantur. auth: bona damnat: C. de bonis proscript: etiam damnati criminis læsæ Maiestatis. Si indotata sit, potest repetere quartam suam a Fisco. Gail: 2. Obseru: 86.

ae. v. g. Si quid communiter aliquibus per Principem donatum est, & vnus eorum steriliter decedit; tunc ad consortem potius solatium illud, seu pars decedentis pertinet; quam Fiscum. l. vn. C. si imperialis liberal: socius sine hered: decess:

au. tt. C. de heredit: decur: Ita v. g. Vniuersitas Studij Crac: succedit Studentibus, Professoribus, etiam Clericis ab intestato: & Priuilegium hoc habet Iudicio Contradictorio abundè firmatum.

eu. l.

eu. *l.* fin: *C.* de apparit: præfect: præt:

ei. Quæ tamen ad pias causas, per Episcopum erogari debent. auth: omnes peregrini *C.* comm: de Succeß: Quod in Gallijs haud obtinet. Rex enim peregrinis ibidem morientibus, iure Albinagij vt vocant ibidem, succedit. Tholos: lib: 42. Syntagm: c. 8. Excipit Manz: *l. c.* §. 2. quinq; casus. Si Albini seu peregrini indigenatum impetrauerint: si Iuri Albinagij sint exempti, vt Scoti Heluetij &c. Si liberos in Gallia habeant procreatos; si liberi extra Galliam nati literas naturalitatis habeant à Rege. Si scholaris ibidem decedat Germanus.

ve. *tt.* *C.* de quad: præscript: l. 1. *ff.* de Iure Fisci. *l.* quia. *ff.* si quis omissâ causâ test: Procedit, si denuntiatio facta sit; secus si non est facta: hoc enim casu, 20. anni ad præscribend: contra Fiscum, requiruntur, sine titulo. *l.* in omnibus *ff.* de diuers: & temporal: præscript: cum titulo 10. Anni. Schneid: de spec: præscript: n. 41. Adde Manz. *l. c.* n. 33. & sequen:

CONCLUSIO V.

a. *c.* Episcopi. 12. Q. 1. cap: cum in Officijs. cap: ad hæc. de test: quod de omnibus beneficiatis generaliter intelligendum, etiam de ipso Papa. Nauar: de reddit: Ecclesi: Q. 1. n. 27. & 78.

b. Nauar: *l. c.* & in prop: apolog: de reddit: Ecclesiast: n. 5. Hanc in multis Hispaniæ locis seruari testis est Couar: in cap: cum in officijs de Testam. In Statu Veneto. Molina de Iust: & Iure tract: 2. Disp: 147. In Polonia Constit: Synodales L. 3. de testam: p: 173. & Piasecius in calce suæ Praxis Episc: Quin vbi talis consuetudo deesset, posset nihilominus Clericus, moderatum quid de bonis eiusmodi, ad pias causas relinquere. *d.* cap: ad hæc. & Abb: ibidem. Posset pariter tantum in suos legare, quantum de bonis patrimonialibus Ecclesiæ contulit. *c.*

si quis qualibet. 12. Q. 2. c: si Episcopus. 12. Q: 5. Abb. in *d.* cap: cum in officijs. num. 4. & in cap: cum esset. de test: n. 31.

COROLLARIUM I.

c. d. c. Episcopi. cap: quia nos, de testam: Piasec: in Praxi. pagin: 545. vbi dicit: quæsita per actus ordini suo proprios *v. g.* ex recitatione Missarum, exercitio Capellaniæ, Vicariatùs, administratione Sacramentorum, vel concionando, vel ex legatis piorum. Huiusmodi enim quæsita, æquiparantur bonis patrimonialibus, & dispo- nere possunt de illis Clerici, æquè ac Laici de suis.

d. Quia distributiones quotidianæ non computantur in fructibus beneficij; vt pote personali labore comparatæ, cap: vn: de Cler: non residen: in 6to. & Piasec: ibidem. vbi dicit, tam distributiones quotidianas; quam pensiones, siue acquisita ex illis transmitti ad heredes, etiam ab intestato.

e. Nau: *l. c.* n. 59. Piasec: *l. c.* vbi deducit Clericum, qui vltra 30. ducatos annui prouentûs ex beneficio Ecclesiastico non habuit; si quid reliquit; præsumitur ex patrimonio, vel labore proprio reliquisse, & de illis liberè disponere testamento posse. ad quod praxim Cameræ Apostolicæ allegat, spolia morientium Clericorum, qui nõ vltra 30. ducatos in annuis fructibus habebant, non exigentis.

f. Post Nauar: *l. c.* Piasec: *l. c.* p. 547. vbi deducit hanc facultatem à Summo Pontifice concedi, non solum particularibus personis; sed integris Collegijs, immò Ciuitatibus, immò & pijs locis, passiua eiusmodi facultas testamentorum conceditur: vt nimirum illi, qui nequeunt testamento legare; eiusmodi nihilominus locis pijs legitimè possint. Limitatè tamen hoc concedi probat; ad certam nimirum quotam, allegatis ad hoc Summorum Pontificum Constitutionibus.

COROL-

COROLLARIUM II.

g. c. fixum. c. ficubi, & c. fin: 12. Q. 5. cap: 1. de teft: cap: 1. de Succeff: ab inteft:

h. Quia capite diminuti cenfentur mortui mundo. *c.* nullus. 2. Q. 7. vide Concil: Trid: Seff: 25. c. 16. de Reg:

i. Vide Lipfc: 2. Obfer: 29. per totum.

k. Conft: Anni Dñi 1635. & ita Iudicium Affefforiale *S. R. M.* decreuit inter Generofam Morfztyn, & Conuentum Mftouicn: in Martio A. D. 1682. Iauorouiæ.

COROLLARIUM III.

l. d. cap: 1. de Succeff: ab inteftato. Clerici inteftati bona diuiduntur quadrifariam. in cap: fancto. de Succeff: ab inteft. *vbi textus*. Peculium verò ipforum diuidatur in 4. partes. quarum vna Epifcopo, altera Ecclefiæ, tertia pauperibus, quarta propinquis affignetur; & fi non fint, Epifcopus eam recipiat, & in vfum Ecclefiæ diligenter diftribuat. Quâ de re Conftitutiones Synodales in Regno Poloniæ fic habent. tit: de Succeff: ab inteft: p. 178. Primum expeditâ fepulturâ, in exfolutionem debitorum, fi quæ inteftatus contraxerit, deinde in abfolutionem feruitiorum, & confolationem confanguineorum, maximè pauperum; in remedium falutis animæ defuncti; fabricam Ecclefiæ; bona mobilia, ab inteftatis beneficiatis relicta, difpenfentur.

m. d. cap: fancto. Abb: ibidem & in cap: excommunicamus 1. de hæret: n. 1.

n. Conftit: Synod: Diœcef: Crac:

COROLLARIUM IV.

o. Summ: Sylu: *v.* Clericus. 4. n. 13.

COROLLARIUM V.

p. Bulla Leon: X. Sacrosanctæ, quam vide in Constit: Synodalib. Lib. 4. p. 317. & Lib. 3.ibid. de Anno Gratiæ. & Constit: Synod: Gembicij, de Officio Episcopi cap: 6.

LEGITIMATIO
totius ACTÛS.
Nominibus
SACRARUM MAIESTATUM
hîc Subscriptis.

PÆAN.

REgum IOANNES Maxime: Maxime
Heroûm IOANNES! Odrysiæ Tuum
Pallent ad Vmbonem, labores
Occiduos agitantq; Lunæ.
Et qui peracti tempore seculi,
Dextrâ triumphos innumerabiles
Iam computârat; victus armis
Ipse Tuis, iacet hostis ingens.
Heu quàm superbæ cornua Cynthiæ,
Detrita magni viribus Herculis,
Latè patentes vtriusq;
Pannoniæ metiuntur agros!

Sed cauda triſtis, ſed ſupereſt caput
Diri Draconis! fulminis Arbiter
Vrgebis, auguſtumq; prædæ
Relliquijs, onerabis vnguem.
Sic fata volvunt: vt Clypeus ſacer,
Phœbe furenti, deliquium ferat,
Iugoq; perfracto Tyranni,
Chriſtiadûm tueatur Orbem.
Sic vniuerſi ſupplicibus Tibi
Votis precamur. Continuis preme
Hoſtem triumphis; viue felix,
Vna ſalus Patriæ, Paterq; !
Viuat laborum indiuiduus comes,
Magni Parentis Scipio! colligat
Palmas in Ortu IACOB: altâ
Ipſe Crucem Solymâ refigat!
Qui Bullionîj, Legitimam capit
Succeſsionem roboris: à Cruce
Inſignis Heros: quam MARIA,
In Clypeum retulit IOANNIS.

ORATIO.

AD SERENISSIMUM POLONIARUM PRINCIPEM IACOBVM.

In eodem Actu Reſponſionis pro Loco, ab Authore operis

HABITA.

Præſentibus, in Gratiarum actione infra ſpecificatis.

I*Nter arma, non ſilere iura: claſſico in aciem euocante, clauſa fora, triſti iuſtitio, non teneri; cùm furit Mars, cùm fulmina belli perurgent omnia; nihilominus intactas Laurus ſtare: doctarum hederas præmia frontium, in Muſarum domo, altiùs aſſurgere: incredibile omnino videretur; niſi hoc iam reapſe fieret, trepidoſque in ſenſus, hîc etiã, liquidius merâ luce influeret.* Sereniſſime Princeps. *Opprimit leges timor: ferriq; poteſtas, confundit ius omne: iuſſa dãte Imperatore, antiquat Edicta ſua Prætor: circumquaq; ſeptum forum premente Magni milite; totis artubus contremiſcit, magnus cauſæ Milonis Orator. Malè ha-*

buêre ſemper, ſub imperio Bellonæ, firmata quouis legum præſidio: regna Iuſtitiæ: vbi i . s eſt in armis; iacent ſine vita, ſine honore, Sacratæ Iuſtiniani Sanctiones. Quanta verò nunc, iſthæc rerum conuerſio! ſub tutela Gradiui, pupillæ artes, ſalua habent omnia: eſt Camœnis ſuus honor: incipiunt magni procedere menſes: iam redit & Virgo, quæ terras reliquerat, Aſtræa: redeunt Saturnia regna. Quis Deus, mediis in procellis, hæc otia fecit nobis? quis temporibus noſtris, ab incude duri chalybis, aurei ſeculi purum hoc, putumq; obryzum deduxit? Tuæ inuictæ dexteræ, hic labor, hoc opus eſt! Clypeus fortium, Chriſtianæ rei Stator, Orientis fatalis Occidens, æternus Lunæ Ottomanæ Defectus, Delicium generis humani, Publicæ Salutis Pignus, Regum IOANNES Maxime, Maxime Imperatorum, Victor, Pie, Felix, Auguſte! Tibi Chriſtianus Orbis, quòd eum, metu impiæ barbarorum tyrannidis, exemeris: Tibi Patria, quòd à ceruicibus eius, Thracium acinacem auerteris: quòd Ciues, fulmine diro belli nequicquam afflatos, extra fines Regni ſeruaueris: Tibi liberata Vienna, quòd mœnia eius, cæde hoſtium expiaueris: circumiacentem agrum, ſpoliis infinitis ſtraueris: Danubij ripas, cruore barbarico inundaueris: vtriuſq; Pannoniæ campos, cadaueribus turpiter fugientis Ottomani, latè ſeminaueris: Currus triumphales, Ciuicas, Obſidionales, Murales, & quotquot Summis Imperatoribus, plauſus triumphi

umphi dedit vnquam ornamenta; Tibi nunc ouantes, gratantesq; congerunt, ponunt, accumulant vniuersi. E-quidem & hoc loco, Augustæ Maiestati Tuæ, assurge-rent victricia trophæa, laurus, palmæ nobiles: sed ma-gnitudinem tantam, non capiunt angustiæ istæ. imbel-lis Musa vetat, laudes Tuas culpâ deterere ingenij imparis. laudando Achilli, Homerus; Magno Orien-tis domitori delineando, Apelles vnus; non alius quisquã suppar. Imaginem ergò Tuam; ingentis animi, Regi-arumque virtutum, quibus Orbem implêsti, viuum pro-totypon; comitem grandis ad immortalitatem viæ, & laborum socium, Serenißimum Primo Natum Tuum, hic mihi scopum pono; in quem præsens mea collineet O-ratio. Conamur tenues grandia: nam & incondita car-mina, fecêre quandoque chorum, in triumpho. Annuere dignaberis, Paternarum virtutum ex asse heres, Sere-nißime Princeps IACOBE. qui in ipso etiam accin-ctu balthei militaris; hanc Succeßionis Legitimæ expla-nationem, auidißimâ intentione mentis, ab ore meo, acci-pere, non es dedignatus.

Magnarum virtutum semina: traducem ab ex-celsa parentum origine, ingentium animorum stirpem: deriuat in se, iureque hereditario vendicat, Augustus Heroum Sanguis. Neque Spiritus ille, sedibus æthereis veniens, est erro; aut quouis triuiali in diuersorio, ho-spitatur peregrinus; multò minùs ad bestias, stultâ sen-

gentiâ Samij Senis, damnatur innocens; sed cognatam magnitudini suæ sortitur stationem: magno hospitio, magnus hospes aduenit: augusto in domicilio, imperium sumit, augustus Animus. Fortis in cunis Alcides, quia summo Ioue cretus: Magnus à fascijs Pelleus Iuuenis; nam parente Summo Imperatore genitus. inest patrum virtus fortes creantur fortibus & bonis; nec à frutice nobili, desciscit facile generosus palmes. Legitimam hanc, cum heroico Magnorum Parentum Sanguine, ingentis animi, virtutumque primi census hereditatem; contigisse Tibi Serenissime Princeps IACOBE, *venerabundi suspicimus omnes; læti, istam bonorum possessionem gratulamur. Marte satus Lechico, antequam firmare gradum, ætas infirmior concessit; Natiua raptâsti per Scuta, Puer: à cunabulis, inuictam mentem Catonis, explicâsti: nondum satis ablactatus, regios Cyri spiritus, ore, nutu, opere vbique circumtulisti. Velut ab aurora diem, à vestibulo domum, à flore lætæ segetis fructuum vbertatem; ita ab excelsa infantis indole, à singulis dictis, factis, venabamur, certoq́ iam ab inde augurio, ponebamus ob oculos, immensam animi Tui magnitudinem. Positâ cum lacte prætextâ, actutum togæ virili humeros; brachium vmboni Martio, quem Tibi Natiua parauerunt Decora, vt aptares commodius; insignem doctæ Palladis, alacer arripuisti ægida; Cadmeæq; adscriptus militiæ, bonarum artium grande lustrum,*

quin-

quinquennis vixdum tyro, condidisti. Non expectauit in Te annos, virtus: respexisti ad iubar orientis lucis, irretorto oculo, Regnatricis Aquilæ pullus: ab aditu castrorum Mineruæ, non Te deterruerunt oppositæ Gorgonis exuuiæ, Magne in puero Perseu: non excubias Tuas, perspicacemq́ animi pupillã? insomnibus vigiliis, vicit Palladia volucris. Progressus es Herculeo gradu, per acuta per abstrusa literati stadii: inaccessã vulgaribus animis, Eruditionis veræ arcem, impubes viâ regiâ superasti. Quidquid in Musarum domo humanitatis, elegantiæ, suauitatis, reconditum seruauit augur Apollo; apis Matinæ more, modoq́, grata carpentis thyma, per laborem; paruus, vasto pectore hausisti. Quocumque Sophorum dogmata, vltra secretiora Naturæ, sublimium contemplatione rerum, mentem eleuant; propiùs accessisti. Profundiori Mathematum speculationi immersus; vniuersa, quæ Sago, quæ Togæ momentum faciunt; mirâ facilitate, in habitum operandi traduxisti. Vnde rectũ Tibi ad Palæstram Militarem iter: in qua non alteri, dulcior vsquam ludus. statis dierum horis, corpus exercere: lacertos oblato certamini parare: torquere hastam: gladio punctim, cæsim ferire: figere scopum iaculis: ferocem equum in stadio edomare: manu propriâ erutum cespitem, ad regulam & formam munimenti instruere: Imperatoris boni & strenui militis partes & officia, antequam per ætatem licuit, exequi addiscere; vires labo-

 re,

ve, sanitatem deciduo à fronte sudore obfirmare. Quid illa totius Philosophiæ summa coronis, interioris hominis directiua lex, humanarum actionum canon & regula? quàm profundè pectus Tuum insedit! hæc formatam suopte ingenio, ad præclara omnia Indolem Tuam, Religionis, pietatis, affabilitatis, officiis Summo Principe dignis, ceteráq; fruge Cleantheâ imbuit; & non minùs grauitate actionum, quàm morum ciuilitate exactißima, reddidit amabilem vniuersis. Quid memorem pondus illud, maiestatemq; rotundi oris & calami; nitore puro neruosæ Suadæ tincti, & elegantiùs formati? Quid in Studio Iuris Vniuersi, faciles æquè ac felices progressus? simulac cum primis Legalis Doctrinæ elementis, cognôsti: Imperatoriam Maiestatem, non solùm armis decoratam; sed etiam legibus debere esse armatam; ita ardenti studio, diuinæ Scientiæ huius, (quâ totus illuminatur Orbis, quâ res humanæ diuinæq; firmātur immobiles,) abreptus es totus: vt modico temporis impendio, vniuersā hanc boni & æqui artem, iusti atq; iniusti notitiam; à fontibus ipsis Communis Patriiq; Iuris haustam, stupēdâ ingenij capacitate cōprehenderes: æquâ lance, & in toga, armorū splēdore decorus; & in sago, legum præsidio armatus Princeps. Imprimis hîc, enituit luce merà clarius, vastitas ingenij Tuì Iudicijq; iam in flore deproperata maturitas: quando istas Hereditatis Legitimæ Positiones, Magno Nomini Tuo nunc militantes; me proponente, & ad consultissima respon-

r sponsa Tua, plerumq; attonito; conformi iuribus ratione decidebas: & iam tunc certum documentum dabas; quantæ Maiestatis sis Heres & legitimus Successor. Sed quid ego, trabeatæ Principis mei prætextæ, pretiosa hæc appingo cimelia? cum ille interea sagatus, profusâ Bistonij cruoris eluuie, insigne Paludamentum tingat pulchriùs, nobilitetq; augustiùs, omni exquisito murice? Simulac ad arma, contra iuratum totius Christianitatis hostem, ab Ordinibus Regni, diuinæ voci IOANNIS, quo non surrexit Maior, succlamatum est: mascula heroici pectoris vis illa, non se continebat præ gaudio, immensùm quàm gestiens: tristem Regnorum belluonem, hactenus abstinuisse bello; donec venientis iugulum ferro appetere, & sitibundum sanguinis humani, sanguine eius proprio ingurgitare, sibi per ætatem liceret. Iuit igitur indiuiduus comes Magni Parentis, dulceq; & decorum ratus, pro Patria, Patriam fugere; cara omnia, publico bono posthabere; impigro & alacri animo, fines imperij vicini ingressus est; riteq; operatus terminalibus Diuis: vt principijs ingentium operum, adessent duces boni & auspices; Macedonicum illud, Paterni pectoris meruit oraculum: Nate iam Te patrius orbis non capit; augustius Regnum quære. Lacæna Mater, inuicti animi, bellaq; matribus detestata, nequicquam abhorrens Amazon, Augusta Nostra: insigne heroici brachij, Natiuum & virtutis artificio impenetrabile Scutum, obtulit iam tendenti: neq; acres in prælia, immitis Achillis impetus, more Thetidis marinæ, sufflaminauit

MARIA

MARIA. *Quàm bene consulunt posteritati suæ, soliciti parentes! qui prolibus, non aliàs, nisi ad societatem laborum vocatis, certam relinquunt hereditatem. Ea demum firma est, quam pater designauit; filius proprio sudore descripsit, bonorum possessio. Paratis maiorum industriâ, rarò bene frui norunt, heredes laborum nescij. Comparatum hoc à natura est; vt depulsi à lacte, aut nido exclusi generosi fetus, quærere conuenientia sibi, partaq; tueri discant: ad nutritores non respiciant. Quantò magis iuuat generosas mentes, empta labore gloria! Magnus Macedo, vnum hoc extimuit puer; ne Imperium Græcorum Philippi parentis fortitudine firmatum, ingratâ hereditate, non iure quæsito sibi contingeret. Ignauæ mentes lucem omnem à fuligine fumosarum imaginum, conatu infelici deducunt; cordati, quibus non cornea fibra est, primum hoc, verumq; decus reputant: suâ se virtute inuoluere: prisca virtutum exempla ante oculos; præ manibus propria benefacta habere: summâ breuis vitæ, non sanguine longo censeri. Hunc veræ virtutis censum, tute Tibi instituere voluisti, Sarmatici Magna Propago Martis. ductu Magni Parentis regiam viam, ad quærendam nominis immortalitatem ingressus; ipse Tuæ Archimedes gloriæ, ipse Tuæ Fortunæ faber, manum non oculos, pulcherrimo operi admouisti: in theatro heroicæ virtutis, non spectator, sed actor. Vbi primùm Te, puluere castrensi nigrum Meriona, letheus ille Thracio Tyranno amnis, in perniciem hostium præceps Ister abluit; omnia Regiæ domûs commoda,*

alta

altâ obliuione mersisti: arma semel sumpta, dies noctesq; ferre: cespite duro, quem sors cunq; dederit, molliter cubare: sitim famemq; egregiè pati: Imperatoris Parentis latus, labore indefesso tueri; insigne tyrociny Tui, nec cuiuis veterano, scitum auctoramentum. Præludia hæc summæ rei, proximè decernendæ erant. cum verò superatis Austriæ Alpibus, Pullus hic Aquilæ niuei candoris, non indecoro puluere sordidus; pullatam Romani Imperij Aquilam, in nido Thracijs scorpionibus vndiquaq; appetito, extremè fatiscentem respexit: cum totis Viennæ campis, effusum hostem, aduersas acies, pila minantia pilis, vidit; immortale decus animo, nobiles iras, pectore inuicto agitans; stetit acer in armis: atq; ad omnia, quæ Pius rei Christianæ Seruator, diuino consilio tum prouidebat, enixè intentus; iam à fronte directæ in hostem aciei adesse: iam extremis ad impigrè progrediendum præire: modò his, modò illis subuenire: quà densior globus hostium, laxatis habenis Sarmaticos argyraspidas immittere: tueri omnia, omnia circumspicere: voce, procursu, ferro, languentem Martem accendere: nuspiam intermisit, adstes vbiq; Pio Parenti Iulus: laborum omnium, periculorumq; socius & Scipio alter. Fractus tandem inuictâ Summi Imperatoris fortitudine, terga vertit hostis, immanitate barbarus, multitudine innumerabilis, bellico apparatu infinitus. fractus; at non sine auspicijs Tuis, rediuiua Magni Macedonis Imago, Serenissime Princeps ALEXANDER. Adfuit Sacer Genius Tuus, terribili luctæ illi, Orientis &

G Occi-

Occidentis Imperij: præiuitq; primus: cum inuictissima cataphractorum suorum alâ, ad perfringendam hostium aciem, & infestâ cuspide, in turpem fugam auertendum Vesirium; confertissimâ suorum mirmillonum multitudine obstinatissimè resistentem. Hoc Tibi gloriæ, assensu vniuersi exercitûs, impertiuit Augustus Parens Tuus; & quantam expectationi Patriæ, spem præferat Fortuna Tua, hoc augurio, admonuit euidenti. Scriberis iam inde, Tu; quoq; fortis & hostium victor; Paternisq; ac Fraternis vestigijs inhærens; mereberis parem ALEXANDRO, *Nominis magnitudinem: famam immortalibus extendes factis. Quid ago? quo me citati pectoris impetus, ab incæpto abripit? Cur non potiùs, pone sequor, prout institui, ingentes ausus Bellatoris Principis; fusâ aduersâ acie, in castris barbarorum, victricia signa explicantis? Nimirum processit ille, inaccessâ Heroum viâ, extra metas sortis communis; eoq; stetit loco, quo humi repenti ingenio, euadere, minimè est concessum. Viciniora immensi Oceani effluuia, cuius à proximo littore, contemplari licet; altius eius æquor, suâ se immensitate, omni conspectui eripit. Viam aquilæ, quâ nidum subit, aut declinat facile notaueris: vbi liberiore cælo, in sublime sublata est; quantumuis perspicacissimam oculi pupillam fallit. Plerumq; pictores, magnitudinem, quam angustijs tabulæ comprehendere nequeunt; in vmbras, & spatia remotissima reponunt; magnumq; leonem vngue duntaxat, non totâ mole fingunt. Sequentur propterea victricia signa Tua,* Serenis-

sime

ſime Princeps IACOBE, *immortaliq; Nominis Tui famæ, egregiè militabunt, emeriti in Palæſtra Bonæ Mentis, anteſignani primiq; principes. Pleno alueo deſpumantis cruorem Biſtonium: ſcuta virûm, galeaſq; & corpora hoſtium voluentis Danubij, in Pontum vſq;, Thraciǽq; munimenta Boſphori, laudes Tuas deducent: narrabunt repetenda ſeris poſteris, fortia facta Tua: numerabunt ſpolia barbarica: referent Orientis manubias: vinctos poſt terga hoſtes, in triumpho ducent. Aſt ego, primam quâ Orientem reſpicit, Imperij Romani portam: Auguſti Parentis, Tuâq; fortitudine, ab ipſis penè faucibus fati, ereptã Viennam non egreſſus; Laurum ſaltem meam, inſigni trophæo Tuo deciſam, hic dicabo; æternùmq; duraturis hiſce notis inſcribam. CAMILLO Imperij Romani, Regni Poloni Octauiano Auguſto, Victori, Pio, Felici: quo nihil maius meliusuè terris, fata donauêre, boniq; Diui, nec dabunt, quamuis redeant in aurum, ſecula priſcum. Auguſtæ Stirpi eius, rediuiuo pari virtute, maiori felicitate GERMANICO: cuius fama creſcit, occulto velut arbor æuo & micat, velut inter ignes Luna minores. Obſeruatũ, defensâ Flauiana Auſtriæ, Chriſtianum orbem; Patriæ ſalutem, extra fines Regni vindicatam: ob aſſertam Chriſti Crucem; propagatos Imperij Germanici fines: ob cæſos fugatoſq; latè barbaros; hoc Sacrum: atq; vt inuictà IOANNIS & IACOBI manu, Orbe terrarum pacato, claudatur IANI, ruat Ottomani Porta; Solemne Votum.*

GRATIARVMACTIO.

ULtimum mihi supereſt executione, quod intentione erat primum: legitima, in Cauſa & Actione Succeſſionis vertente, concluſio. Quam vt conſequar, à Signatura Iuſtitiæ, in qua hactenus rem promoui; ad Signaturam Gratiæ, veriùs Gratiarũ prouoco. Atq; Tibi imprimis, æterne Pater, qui naturali fecundus Vnigenito; nos filios Tuos iure Adoptionis, habere voluiſti: eoſdemq; ſi filios, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti, ad legitimam Regni Tui Succeſſionem, licet ingratos vocaſti: Tibi benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarumactio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro, in ſecula ſeculorum.

Matri Virgini, cæli terræq; Imperatrici Auguſtæ, throno ſolis Iuſtitiæ, Iudicis viuorum & mortuorum, noſtri Aduocati apud Patrem, mediatoris inter Deum & homines, præcelſæ Genitrici: cultus à Deo proximus, & tot laudes Aſtræa Tibi, quot ſydera cæli.

Beato IOANNI CANTIO, Summo Lycei

huius

huius Præſidi, Pio Patri, Regniq; Patrono. Quòd Sereniſſimum IOANNEM III. ad Succeſſionem ſui Nominis legitimam, vocatum: ad dicenda barbaris gentibus iura, hoc loco, ſub tutela protectionis ſuæ, ſanctè inſtitutum; ducat nunc feliciter, per obſtantes latronum orbis Chriſtiani cateruas: tritâ ſibi toties viâ; ad inferendum Solymæ Crucis Chriſti Labarum, Præcurſor Domini: adſtes dubijs in rebus, præſensq; IOANNIS & IACOBI Protector: mille ſupplicia & expediendæ quantocyus, Sacræ Apotheoſeos votum.

Sereniſſimo Poloniarum Principi ALEXANDRO. Aquilæ Polonæ niueo Candori: oculorum eius ad feruidum ſolis orientis iubar, Pupillæ ſine nictu intentæ: Pullo Martis Poloni: Sarmatici Achillis Scuto impenetrabili: Flori nomina Regum inſcripto: Muſarum, Gratiarumq; omnium ſummo Delicio. Quòd Iudex fauorabilis, Actioni præſenti præeſſe dignatus eſt: felicem in ætate & ſapientia, & amore apud DEVM & homines, profectum: atq; certâ fatorum deſtinatione, cum Nomine Magni Macedonis, legitimam ad Orientis Imperium Succeſſionem.

Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino. D. Opitio Pallauicino, Archiepiſcopo Epheſino. Sṁi. D. N. INNOCENTII XI. Pontificis O. M. ad Regnum Poloniæ, & M. D. Lit: cum facultatibus Legati à Latere, Nuntio Apoſtolico: normæ Sanctitatis, Prudentiæ ſpeculo, encyclopædiæ Iuris vniuerſi, Iuſtitiæ ſacrario: pro immenſis in Eccleſiā Regnumq́; hoc, meritis: pro inſigni in literas, literatoſq́; ſtudio; tergeminos è numero Gratiarum, Sedis Vaticanæ honores.

Magnis Senatûs Poloni Luminaribus: Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino, Domino. Conſtantino Lipſki, Archiepiſcopo Leopolienſi, Abbatiæ Andreouienſis Adminiſtratori perpetuo: vltra Auorum Atauorumq́; ſine nube ſplendores; proprijs in Eccleſia & Republica meritis immortalibus, Syderi lucidiſſimo. Celſiſſimo Principi, & Reuerendiſſimo Domino, D. Ioanni Małachowſki, Epiſcopo Cracouienſi, Duci Seueriæ, Vniuerſitatis Studij Cracouienſis Cancellario; Faſciæ pectorali, in ornamentum Sponſæ Chriſti, per omnes laborum meritorumq́; gradus, feliciſſimè diductæ. Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo

Domi

Domino, D. Stanislao Witwicki, Luceoriensi Episcopo, Lucernæ ardenti in candelabro aureo. Illustrissimo, & Reuerẽdissimo Domino, D. Ioanni Zbaski, Episcopo Premysliensi, Præposito Generali Miechouiensi, Abbatiæ Suleiouiensis Administratori perpetuo: Candidissimo virtutum omnium Gratiarumq; Vinculo. Illustrissimo, & Reuerendissimo Domino, D. Andreæ Załuski, Episcopo Kijouiensi, Abb: Wachocen: Perp: Adm: Maiestatum Regniq; Aureo Velleri. Dominis Benefactoribus, cum hecatombe votorum, transcriptam ex asse, obseruantiæ meæ hereditatem.

Vobis Celsissimi Principes RADIVILLII, Lechici Litauiq; Clarissima cæli Lumina, Gemini Tyndaridæ, lucida publicæ rei Sydera: à clangore Tubarum, Filij Tonitrui: ab Aquilæ Summi Iouis ministræ, duo Fulmina Scipiadæ. Lacæna Principis Matris Progenies, Scuto Martis Poloni sublata: felices Gemmæ, Regiæ propaginis: prima Decora veris ineuntis: Vobis deproperandam alieno sub sole Phoebeiæ pariter, ac Martiæ Laurûs maturitatem: & cum legitima virtutum omniũ Successione, accessum felicem eò, quò Pater, & Auunculus excitat Hector.

Magni-

52

Magnifico, Almæ Vniuersitatis Studij Cracouiensis Rectori: florem Fascium, trinâq; sub Corona, Gratias sine ruga vernantes.

Illustrissimis & Magnificis Dominis, Regni Terrarũq; Officialib⁹, Iudicib⁹: amplissimorum in Republ: honorum, dignitatumq;, hereditariam possessionem, & vectigalem obseruantiam meã.

Peraugusto tergeminæ Coronæ Senaculo. Perillustribus, Reuerendissimis Dominis, Episcopis, Abbatibus, Prælatis, Canonicis, solemnem cum apprecatione faustiratum omnium, venerationis meæ, protestationem.

Perillustri & Reuerendissimo Domino, D. Alberto Łancucki, I. V. Doct: & Profess: Canonico Cracouiensi, &c. &c. inclytæ Facultatis Iuridicæ Decano, Benefactori. Illustrissimis, in hac domo Sapientiæ, in spem Patriæ, Succrescentib⁹ plantationum nouellis. Amplissimo huius Vrbis Senatui. Clarissimis & Excelentissimis Dominis, omnium Facultatum, Theologicæ, Iuridicæ, Medicæ, Philosophicæ Doctoribus, & Collegiorum Professoribus. Religiosissimis omnium Ordinum Patribus. Omnibus humanissimis Hospitibus: Gratias, & in mea promptissima obsequia, integri iuris officiosam, cum Successione legitima, Cessionem.

F I N I S.